SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

IV.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

Ad USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

IV.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

Professor p. o. Theologiae in C. R. Universitate Oenipontana.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1868.

S. CAECILII CYPRIANI

OPUSCULA DE MORTALITATE,

DE OPERE ET ELEEMOSYNA, DE PATIENTIA.

QUINTI SEPTIMII

FLORENTII TERTULLIANI

LIBER DE PATIENTIA

ET EXHORTATIO AD MARTYRES.

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

	Pag.
1. S. Cypriani liber de Mortalitate	1
2. S. Cypriani liber de Opere et Eleemosynis .	29
3. S. Cypriani liber de Patientia	64
4. Quinti Septimii Florentii Tertulliani liber de Patientia	93
5. Ejusdem exhortatio ad Martyres	131
Accedit dissertatio apologetica III: Martyrum sanguis vox veritatis	143

S. CYPRIANI

LIBER DE MORTALITATE [1]).

I. Scribendi occasio.

Etsi apud plurimos vestrum, fratres dilectissimi, mens solida est et fides firma et

---

[1]) Tractatus *de Mortalitate* compositus fuit occasione pestilentiae, quae grassata est per imperium romanum ac praesertim per Africam, quamque describit Pontius in vita S. Cypriani c. 9 s. (opusc. T. 1. p. 14 ss.), anno, quo Gallus et Volusianus mortui sunt. Verum quo praecise anno num 252. vel 253. vel 254. hunc librum S. Cyprianus composuerit, inter eruditos controvertitur. Cf. Lumper (*Hist. theol. crit. de vita etc. SS. PP.* p. 11. s. 3. c. 3. a. 8). Cum hac peste grassante animadvertisset quosdam e plebe sua vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine secularis vitae, vel sexus mollitie, vel quod gravius est, veritatis errore minus stare fortiter, nec pectoris sui divinum atque invictum robur exserere, eorum animos dejectos erigere statuit; hinc ut mortis timorem eorum animis excuteret, luculenter ostendit, nec propriam mortem esse timendam, nec aliorum, qui nobis vinculis aut carnis aut spiritus juncti sunt,

anima devota, quae ad praesentis mortalitatis copiam non movetur, sed tanquam petra fortis et stabilis turbidos impetus mundi et violentos seculi fluctus frangit potius ipsa nec frangitur, et tentationibus non vincitur, sed probatur, tamen quia animadverto in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine secularis vitae, vel sexus mollitie, vel, quod majus est, veritatis errore minus stare fortiter nec pectoris sui divinum atque invictum robur exserere, dissimulanda res non fuit nec tacenda quo minus, quantum nostra mediocritas sufficit, vigore pleno et sermone de dominica lectione concepto delicatae mentis ignavia comprimatur, et qui homo Dei et Christi esse jam coepit, Deo et Christo dignus habeatur.

---

amissionem sive metuendam esse Christiano, sive lugendam: imo potius bonis fidelibus gratulandum esse morientibus demonstrat, quando hujus vitae tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri. Ita paucis hujus eximii libelli scopum cl. Fessler (*Instit. Patrol.* V. 1. §. 92), complectitur. Illum magni fecit S. Augustinus, qui de eo haec habet (*de praed. SS.* c. 14. n. 26): „Scripsit librum de Mortalite Cyprianus, *multis ac pene omnibus, qui ecclesiasticas literas amant, laudabiliter notum.*“ Eum iterum laudat ep. 217. ad Vitalem n. 22. et op. imperf. c. Jul. L. 6. c. 14.

II. Non timendum in procellis hujus mundi, cum hae praedictae sint.

Agnoscere enim se debet, fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in coelestibus castris divina jam sperat, ut ad procellas et turbines mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla turbatio, quando haec ventura praedixerit Dominus providae vocis hortatu instruens et docens et praeparans atque corroborans Ecclesiae suae populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella et fames et terrae motus et pestilentias per loca singula exsurgere praenuntiavit et cecinit. Et ne inopinatus nos et novus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in novissimis temporibus adversa crebrescere ante praemonuit. Fiunt ecce quae dicta sunt; et quando fiunt quae ante praedicta sunt, sequentur et quaecumque promissa sunt, Domino ipso pollicente et dicente: *Cum autem videritis haec omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei* (Luc. 21, 31). Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse coepit in proximo. Praemium vitae et gaudium salutis aeternae, et perpetua securitas, et possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt; jam terrenis coelestia et

magna parvis et caducis aeterna succedunt. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est? Quis inter haec trepidus et moestus est, nisi cui spes et fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.

III. Justus ex fide vivens cum Christo esse desiderat.

Scriptum est enim, justum fide vivere. Si justus es, et fide vivis, si vere in Christum credis, cur non cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris et, quod diabolo careas, gratularis? Simeon denique ille justus, qui vere justus fuit, qui fide plena Dei praecepta servavit, cum ei divinitus responsum fuisset, quod non ante moreretur, quam Christum vidisset, et Christus infans in templum cum matre venisset, agnovit in spiritu natum esse jam Christum, de quo sibi fuerat ante praedictum; quo viso, scivit se cito esse moriturum. Laetus itaque de morte jam proxima, et de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, et benedicens Dominum exclamavit et dixit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum*

tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. 2, 29 s.). Probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis aeternae portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim vera pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas.

IV. Vitae humanae miseria.

Ceterum quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido. Si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod

divina lex prohibet. Compelleris jurare, quod non licet.

V. Optare debemus ad Christum venire.

Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare, ipso instruente nos et dicente: *Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis et plangetis, seculum autem gaudebit; vos tristes eritis, sed tristitia vestra in laetitiam veniet* (Joa. 16, 20). Quis non tristitia carere optet, quis non ad laetitiam venire festinet? Quando autem in laetitiam veniat nostra tristitia Dominus denuo ipse declarat dicens: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis* (Ibid. 22). Cum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cum viderimus Christum, quae caecitas animi quaeve dementia est, amare pressuras et poenas et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium, quod nunquam possit auferri?

VI. Quia fides deest, coelum non desideramus.

Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse, quae promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus aeternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur; et tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem atque aeternitatem pollicetur, et tu dubitas? Hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium dominum et magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.

VII. Quantum prosit de seculo exire.

Quantum prosit exire de seculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostrae magister ostendit; qui cum discipuli ejus contristarentur, quod se jam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexissetis, gauderetis utique, quoniam vado ad Patrem* (Joa. 14, 28), docens scilicet et ostendens,

cum cari quos diligimus de seculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. Cujus rei memor beatus apostolus Paulus in epistola sua ponit et dicit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Philip. 1, 21), lucrum maximum computans jam seculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, et venenatis diaboli faucibus liberatum, ad laetitiam salutis aeternae Christo vocante proficisci.

VIII. Miseriis vitae etiam fideles sunt obnoxii.

Atenim quosdam movet, quod aequaliter cum gentilibus nostros morbi istius valitudo corripiat; quasi ad hoc crediderit christianus, ut immunis a contactu malorum, mundo et seculo feliciter perfruatur, et non omnia hic adversa perpessus ad futuram laetitiam reservetur. Movet quosdam quod sit nobis cum ceteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primae nativitatis manet caro ista communis? Quoadusque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis aequalitate conjungimur, spiritu separamur. Itaque donec corruptivum

istud induat incorruptionem, et mortale hoc accipiat immortalitatem, et Christus nos perducat ad Deum Patrem, quaecunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum fetu sterili terra jejuna est, neminem fames separat. Sic cum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat. Et quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas una est. Et cum navem scopulosa saxa constringunt, navigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor et impetus febrium et omnium valitudo membrorum cum ceteris communis est nobis, quamdiu portatur in seculo caro ista communis.

IX. Fidelibus plus quam ceteris in hoc seculo est laborandum.

Quinimo si, qua conditione, qua lege crediderit, christianus noscat et teneat, sciet plus sibi quam ceteris in seculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet et praemonet Scriptura divina dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.* Et iterum: *In dolore sustine, et in humilitate tua*

patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis (Eccli. 2, 1 ss.).

X. Exempla Job et Tobiae.

Sic Job post rerum damna, post pignorum funera, vulneribus quoque et vermibus graviter afflictus, non victus est, sed probatus; qui in ipsis conflictationibus et doloribus suis patientiam religiosae mentis ostendens ait: *Nudus exivi de utero matris, nudus etiam ibo sub terram. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (Job. 1, 21). Et cum eum uxor quoque compelleret, ut vi doloris impatiens aliquid adversus Deum querula et invidiosa voce loqueretur, respondit et dixit: *Tanquam una ex ineptis mulieribus locuta es. Si bona excepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus, quae contigerunt ei, nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini* (Job. 2, 10). Itaque illi Dominus Deus perhibet testimonium, dicens: *Animadvertisti puerum meum Job? Non enim est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor* (Job.

1, 8). Et Tobias post opera magnifica, post misericordiae suae multa et gloriosa praeconia, caecitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum, per ipsam corporis sui cladem crevit ad laudem; quem et ipsum uxor sua depravare tentavit dicens: *Ubi sunt justitiae tuae? Ecce quae pateris* (Tob. 2, 22). At ille circa timorem Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidae in dolore non cessit, sed magis Deum patientia majore promeruit; quem postmodum Raphael angelus collaudat et dicit: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu et Sara nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, et abisti, et condidisti mortuum, missus sum tentare te et iterum me misit Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael, unus ex septem angelis sanctis, qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei* (Tob. 12, 11 ss.).

XI. Patienter quidquid acciderit sustinendum est.

Hanc tolerantiam justi semper habuerunt, hanc apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare in adversis, sed quaecunque in seculo accidunt fortiter et patienter accipere, cum judaeorum populus hinc semper offenderit, quod adversus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus Deus dicens: *Desinat murmuratio eorum a me, et non morientur* (Num. 17, 5). Murmurandum non est in adversis, fratres dilectissimi, sed patienter et fortiter quidquid acciderit sustinendum, cum scriptum sit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (Psal. 50, 19). In Deuteronomio quoque moneat per Moysen Spiritus sanctus et dicat: *Dominus Deus tuus vexabit te et famem injiciet tibi, et cognoscetur in corde tuo, si bene custodieris praecepta ejus sive non* (Deut. 8, 2). Et iterum: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro et ex tota anima vestra* (Deut. 13, 3).

XII. Conflictatio in adversis probatio est virtutis.

Sic Abraham Deo placuit, qui ut placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit. Qui filium non potes lege et sorte mortalitatis amittere, quid faceres, si filium jubereris occidere? Ad omnia te paratum facere timor Dei et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum et cruenta vexatio, sit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris et tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed praelia; nec debilitent aut frangant christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum praesentium fiducia futurorum bonorum. Nisi praecesserit pugna, non potest esse victoria. Cum fuerit in pugnae congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Navis gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est, cum periculum non est. Conflictatio in adversis probatio est veritatis. Arbor, quae alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur; et navis, quae forti compage solida est, pulsatur fluctibus, nec foratur; et quando

area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleae flatu portante rapiuntur.

XIII. In adversis virtus perficitur.

Sic et apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari sed emendari se dicit adversis, ut dum gravius affligitur, verius probaretur. *Datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis meae, angelus satanae qui me colaphizet, ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur* (2. Cor. 12, 7 s.). Quando ergo infirmitas et imbecillitas et vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc fides, si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (Eccli. 27, 5). Hoc denique inter nos et ceteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis querun-tur et murmurant, nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore.

XIV. Mors Christianis non est timenda.

Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exaestuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes vel aliquae membrorum partes contagio morbidae putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore, vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel caecatur adspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastitatis et mortis inconcussi animi virtutibus congredi quanta pectoris magnitudo est, quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratum? Gratulari magis oportet et temporis munus amplecti, quod dum nostram fidem fortiter promimus et labore tolerato ad Christum, per angustam Christi viam pergimus, praemium vitae ejus et fidei ipso judicante capiamus. Mori plane timeat, sed qui ex aqua et Spiritu non renatus, gehennae ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cruce et passione censetur. Mori timeat, qui ad secundam mortem de

hac morte transibit. Mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus poenis aeterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differatur.

XV. Mortalitatis utilitas.

Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista ut judaeis et gentilibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod sine ullo discrimine generis humani cum injustis moriuntur et justi, non est quod putetis bonis et malis interitum esse communem. Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti. Datur velocius tutela fidentibus, perfidis poena. Improvidi et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutae cum gloria sua virgines, venientis antichristi minas et corruptelas et lupanaria non timentes; pueri periculum lubricae aetatis evadunt, ad continentiae atque innocentiae praemium feliciter perveniunt; tormenta jam non timet delicata matrona metum persecutionis et manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lu-

crata. Pavore mortalitatis et temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum praelium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.

XVI. Pestis mentes humani generis examinat.

Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista et lues, quae horribilis et feralis videtur, explorat justitiam singulorum, et mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes aegros non deserant medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces avaritiae furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis exstinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus caris, vel sic aliquid divites indigentibus largiantur et dònent sine herede morituri. Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc christianis et Dei servis plurimum praestitit,

quod martyrium coepimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera. Dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis praeparant ad coronam.

XVII. Iis respondetur, qui in tanta mortalitate martyrio privari querebantur.

Sed fortasse aliquis opponat et dicat: Hoc me ergo in praesenti mortalitate contristat, quod qui paratus ad confessionem fueram, et ad tolerantiam passionis toto me corde et plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte praevenior. Primo in loco non est in tua potestate sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere. Tunc deinde Deus scrutator renis et cordis et occultorum contemplator et cognitor videt te et laudat et comprobat, et qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Numquid Cain, cum Deo munus offerret, jam peremerat fratrem? Et tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit. Ut illic cogitatio mala et perniciosa conceptio Deo providente prospecta est, ita et in Dei servis, apud quos confessio cogitatur et martyrium mente con-

cipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus cum vocat, talem pariter et judicat, quando ipse testetur et dicat: *Et scient omnes ecclesiae, quia ego sum scrutator renis et cordis* (Apoc. 2, 23). Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat, sed fidem quaerit. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt, et tamen fidei ac justitiae meritis honorati inter patriarchas primi esse meruerunt; ad quorum convivium congregatur quisquis fidelis et justus et laudabilis invenitur.

XVIII. Quam praeposterum postulare: *Fiat voluntas tua*, et quando evocat Deus reluctari.

Meminisse debemus, voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam praeposterum est quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur et reluctamur, et pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia et moerore perducimur,

exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, et volumus ab eo praemiis coelestibus honorari, ad quem venimus inviti. Quid ergo oramus et petimus, ut adveniat regnum coelorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus et poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria et vota potiora sunt servire istic diabolo, quam regnare cum Christo?

XIX. Episcopi cujusdam visio.

Denique ut manifestius divinae providentiae indicia clarescerent, quod Dominus praescius futurorum suis consulat ad veram salutem, cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus et de appropinquante jam morte sollicitus commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti et jam pene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statu celsus et clarus aspectu, et quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit et dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox est et monentis; qui de persecutione sollicitis, de accersitione se-

curis non consentit ad praesens desiderium, sed consulit in futurum. Audivit frater noster et collega moriturus, quod ceteris diceret. Nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit, ut diceret. Audivit non sibi ille, sed nobis. Nam quid sibi disceret jam recessurus? Didicit imo nobis remanentibus: ut dum sacerdotem, qui commeatum petebat, increpitum esse comperimus. quid cunctis expediat agnosceremus.

XX. Fratres de seculo liberati non sunt lugendi.

Nobis quoque ipsis minimis et extremis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione praeceptum est, ut contestarer assidue et publice praedicarem, fratres nostros non esse lugendos accersitione dominica de seculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent, desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint, occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut exstinctos et perditos lugeamus, et fidem, quam sermone

et voce depromimus, cordis et pectoris testimonio non probemus. Spei nostrae ac fidei praevaricatores sumus; simulata, ficta, fucata videntur esse quae dicimus. Nihil prodest verbis praeferre virtutem et factis destruere veritatem.

XXI. Qui spem non habent contristantur in suorum excessu.

Increpat denique apostolus Paulus et objurgat et culpat, si qui contristentur in excessu suorum. *Nolumus*, inquit, *ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quia Jesus mortuus est et resurrexit, sic et Deus eos qui dormierunt in Jesu adducet cum illo* (1. Thess. 4, 13 s.). Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe vivimus et in Deum credimus, et Christum passum esse pro nobis et resurrexisse confidimus, in Christo manentes et per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino et Deo nostro monente ac dicente: *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, licet mo-*

riatur, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum (Joa. 11, 25 s.)? Si in Christum credimus, si fidem verbis et promissis ejus habemus, et non morimur in aeternum, ad Christum, cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, laeta securitate veniamus[1]).

XXII. Venturus ad Christum lugere non debet, sed gaudere.

Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed transitus et temporali itinere decurso ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora venire festinet? Quis non mutari et transformari ad Christi speciem et ad coelestis gloriae dignitatem venire citius exoptet, Paulo apostolo praedicante et dicente: *Nostra autem conversatio*, inquit, *in coelis est, unde et Dominum ex-*

---

[1]) Ita Baluzius scribit et distinguit secutus auctoritatem sex veterum exemplarium. Clarior tamen est lectio vulgata omnibusque editionibus communis, quae ita habet: *Si in Christum credimus, fidem verbis et promissis ejus habeamus, et non morituri in aeternum ad Christum, cum quo victuri et regnaturi semper sumus, laeta securitate veniamus.*

spectamus Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostrae conformatum corpori claritatis suae (Philip. 3, 20 s.). Tales nos futuros et Christus Dominus pollicetur, quando ut cum illo simus et cum illo in aeternis sedibus vivamus atque in regnis coelestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur dicens: *Pater, quos mihi dedisti volo, ut ubi ego fuero et ipsi sint mecum, et videant claritatem, quam mihi dedisti prius quam mundus fieret* (Joa. 17, 24). Venturus ad Christi sedem, ad regnorum coelestium claritatem, lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veri, in profectione hac sua et translatione gaudere.

XXIII. Mors translatio est ad meliorem statum.

Sic denique invenimus et Enoch translatum esse, qui Deo placuit, sicut in Genesi testatur et loquitur Scriptura divina: *Et placuit Enoch Deo, et non est inventus postmodum, quia Deus illum transtulit* (Gen. 5, 24). Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hoc contagio seculi meruisse transferri. Sed et per Salomonem docet Spiritus sanctus, eos qui Deo placeant maturius istinc

eximi et citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius. Placita enim erat Deo anima ejus. Propter hoc properavit educere eum de media iniquitate* (Sap. 4, 11, 14). Sic et in psalmis ad Dominum properat spirituali fide Deo suo anima devota dicens: *Quam dilectissimae habitationes tuae, Deus virtutum. Desiderat et properat anima mea ad atria Dei* (Psal. 83, 2 s.).

XXIV. Mori non vult quem mundus oblectat.

Ejus est in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens atque decipiens illecebris terrenae voluptatis invitat. Porro cum mundus oderit christianum, quid amas eum, qui te odit, et non magis sequeris Christum, qui te et redemit et diligit? Joannes in epistola sua clamat et loquitur, et ne carnalia desideria sectantes mundum diligamus hortatur. *Nolite*, inquit, *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo: quia omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio*

seculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi, et mundus transibit et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum, quomodo et Deus manet in aeternum (1. Joa. 2, 15 ss.). Potius, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, pavore mortis excluso immortalitatem quae sequitur cogitemus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum, et cum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

XXV. Gratulandum nobis est, si exitu maturiore subtracti plagis imminentibus exuamur.

Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo et malorum infestantium turbinibus obsesso; ut qui cernimus coepisse jam gravia, et scimus imminere graviora, lucrum maximum computemus, si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa, aedificiis senectute labentibus ruinam proximam mina-

retur, nonne omni celeritate migrares? Si navigante te turbida et procellosa tempestas fluctibus violentius excitatis praenunciaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non jam senectute rerum sed fine testatur, et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris?

XXVI. Ad patriam nostram properemus.

Considerandum est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum, renunciasse nos mundo et tanquam hospites et peregrinos istic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos et laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit et regno. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus. Parentes patriarchas habere jam coepimus. Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus exspectat, pa-

rentum, fratrum. filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune laetitia est? Qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum aeternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas? Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus, triumphantes illic virgines, quae concupiscentiam carnis et corporis continentiae robore subegerunt, remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiae opera fecerunt, qui dominica praecepta servantes ad coelestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriae suae ampliora praemia, quorum circa se fuerint desideria majora.

S. CYPRIANI

LIBER DE OPERE ET ELEEMOSYNIS[1]).

I. Incarnationis fructus.

Multa et magna sunt, fratres carissimi, beneficia divina, quibus in salutem nostram Dei Patris et Christi larga et copiosa clementia et operata sit et semper operetur,

[1]) Libri hujus argumentum satis indicat S. Hieronymus ita ad Pammachium scribens (ep. 26): „Quantas vires habeat misericordia et quibus donanda sit praemiis beatus Cyprianus *grandi volumine* prosequitur.“ Scriptus autem videtur circa a. 253. vel 254. *Opus* in hujus libri titulo juxta mentem S. Cypriani designat *misericordiae opera*, quibus subvenitur egenis et pauperibus, quo in sensu *operari*, *operatio*, *operarius* frequentissime in isto libro occurrunt, ut operari idem sit ac eleemosynas distribuere. Amat autem S. Doctor duo ejusmodi synonyma, qualia in hoc titulo habentur, conjungere ad unam eandemque notionem exprimendam. Exemplum habes in alio ejusdem libro, cui titulum fecit *de zelo et livore*. (Cf. Fessler *Instit. Patrol.* V. 1. § 93. Not. ad n. 2.) Magni hoc opusculum fecit S. Augustinus, qui passim ex eo dogmata catholica adversus Pelagianos confirmat, ut infra videbimus.

quod conservandis ac vivificandis nobis Pater Filium misit, ut reparare nos posset, quodque Filius missus esse et hominis filius fieri voluit, ut nos Dei filios faceret. Humiliavit se, ut populum qui prius jacebat erigeret. Vulneratus est, ut vulnera nostra curaret. Servivit, ut ad libertatem servientes extraheret. Mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa haec sunt et magna divinae misericordiae munera. Sed adhuc qualis providentia illa et quanta clementia est, quod nobis salutari ratione prospicitur, ut homini, qui redemptus est, reservando plenius consulatur. Nam cum Dominus adveniens sanasset illa, quae Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqua curasset, legem dedit sano, et praecepit ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coarctati eramus et in angustum innocentiae praescriptione conclusi. Nec haberet quid fragilitatis humanae infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens, justitiae et misericordiae operibus ostensis, viam quamdam tuendae salutis aperiret, ut sordes postmodum quascumque contrahimus eleemosynis abluamus.

II. Eleemosynae vis.

Loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus et dicit: *Eleemosynis et fide delicta purgantur* (Prov. 15, 27). Non utique illa delicta, quae fuerant ante contracta. Nam illa Christi sanguine et sanctificatione purgantur. Item denuo dicit: *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (Eccli. 3, 33). Hic quoque ostenditur et probatur, quia sicut lavacro aquae salutaris gehennae ignis exstinguitur, ita et eleemosynis atque operationibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissa peccatorum datur, assidua et jugis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur[1]). Hoc et in Evangelio

---

[1]) Docet hic S. Cyprianus eleemosynis deleri peccata, non ea quae ante baptismum contracta fuerunt, cum illa plene quoad culpam omnemque poenam sive aeternam sive temporalem in baptismo remittantur, sed quae post baptismum committuntur. Et revera eleemosynis delentur 1.) illa peccata seu vulnera quotidiana, sine quibus, ut ostendit S. Doctor c. 3., nullus est justorum, dum hic in mundo degit. Haec enim delentur etiam citra sacramenta bonis actibus et operibus, in primis caritatis; inter haec vero eminent opera misericordiae, quibus maxime caritas erga Deum se prodit. *Quandiu fecistis uni ex his fra-*

Dominus docet. Nam cum denotarentur discipuli ejus, quod ederent, nec prius manus

tribus meis minimis, mihi fecistis (Matth. 25, 40). Delent 2.) eleemosynae reliquias peccatorum, poenas scil. temporales et etiam habitus pravos; illas quidem *per modum satisfactionis*, hos vero impetrando gratias, ut possint exstirpari. Delent 3.) eleemosynae peccata quoque gravia, non tamen *immediate et ex sese*, sed a) *mediate* quatenus contritionis gratiam impetrant. Magna est enim impetrandi vis eleemosynarum. Hinc angelus ad Cornelium: *Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (Act. 10, 4). Qua de virtute plura in hoc opusculo reperies. Deinde b) *per modum satisfactionis sacramentalis.* Quem modum ut rite intelligas adverte, satisfactionem esse partem integrantem sacramenti poenitentiae, quo peccata remittuntur. Cum vero tempore S. Cypriani plerumque satisfactio absolutionem praecederet, imo satisfactionibus absolutionis gratia esset promerenda, et cum inter satisfactionis opera non infimum locum teneant eleemosynae, hinc eleemosynis ut parti sacramentali specialis vis delendi peccata denegari nequit. Mirum proinde esse non debet, si Patres ob tantam, quae eleemosynis inest virtutem, in commendandis misericordiae operibus eam baptismo conferant; neque enim propterea illam huic *aequiparant*, vel, si de gravibus ageretur peccatis, negant, ad potestatem clavium esse recurrendum pro impetrando remissionis beneficio, siquidem bene norant, Dominum „legem dedisse, ut ligata in terris etiam in coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur“ (S. Cyprianus ep. synod. 54. ad Cornel.). Ceterum

abluissent, respondit et dixit: *Qui fecit, quod intus est, fecit et quod foris est. Verum date eleemosynam, et ecce vobis munda omnia* (Luc. 11, 40 s.). Docens scilicet et ostendens non manus lavandas esse, sed pectus, et sordes intrinsecus potius quam extrinsecus detrahendas; verum qui purgaverit quod est intus, eum quoque id quod foris est repurgasse, et emundata mente, cute quoque et corpore mundum esse coepisse. Porro autem monens et ostendens, unde mundi et purgati esse possimus, addidit eleemosynas esse faciendas. Misericors docet et monet misericordiam fieri; et quia servare quaerit, quos magno pretio redemit, post baptismi gratiam sordidatos docet denuo posse purgari.

III. Nemo sine omni macula est.

Agnoscamus itaque, fratres carissimi, divinae indulgentiae munus salubre, et emun-

---

hisce plane similia habet S. Gaudentius Brixianus S. 13 (Migne Patrol. lat. 20, 938): „Sicut aqua baptismi salutaris exstinguit flammam gehennae per gratiam, ita eleemosynarum fluvio omnis ille coacervatus post acceptam fidem peccatorum ignis exstinguitur, si tamen post conversionem non iterum renovatis criminibus inardescat. Is enim qui eleemosynis

dandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiae vulnere esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit: *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis* (Prov. 20, 9)? Et iterum in epistola sua Joannes ponat et dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (1. Joa. 1, 8). Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat non deesse sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria [1]).

---

remedium peccatorum poenitens quaerit, debet jam non agere poenitenda, ne quod uno latere exstinguitur, alio succendatur.«

[1]) Ad hoc caput provocat S. Augustinus in controversia cum Pelagianis pro dogmate catholico, quod justorum nullus citra speciale privilegium a peccatis omnibus tota sua vita cavere possit, tum L. 4. c. 2. epist. Pelag. c. 10. n. 27; tum c. Julian. L. 2. c. 8. n. 25, ubi haec subjicit verbis S. Doctoris: „O

IV. Deus ad misericordiae opera hortatur.

Nunquam denique, fratres dilectissimi, admonitio divina cessavit et tacuit, quo minus in Scripturis sanctis tam veteribus quam novis semper et ubique ad misericordiae opera Dei populus provocaretur; et canente atque exhortante Spiritu sancto quisquis ad spem regni coelestis instruitur, facere eleemosynas jubetur. Mandat et praecipit Esaiae Deus: *Exclama*, inquit, *in fortitudine, et noli parcere. Sicut tuba exalta vocem tuam, et annuncia plebi meae peccata ipsorum et domui Jacob facinora eorum* (Isa. 58, 1). Et cum peccata eis sua exprobari praecepisset, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixissetque eos nec si orationibus et precibus et jejuniis

---

doctor praeclarissime et testis gloriosissime, sic docuisti, sic monuisti, sic te audiendum imitandumque praebuisti. Merito finitis aliis omnium cupiditatum certaminibus sanatisque vulneribus, cum extrema et omnium maxima vitae hujus cupiditate, pro Christi veritate pugnasti, et ejus in te gratiae largitate vicisti. Secura est corona tua, victoriosa est doctrina tua, in qua et istos vincis, qui confidunt in virtute sua. Ipsi enim clamant: Perfectio nobis virtutis a nobis est; tu autem reclamas: Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est.“

uterentur satisfacere pro delictis posse, nec si in cilicio et cinere volverentur, iram Dei posse lenire, in novissima tamen parte demonstrans solis eleemosynis Deum posse placari, addidit dicens: *Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum, et domesticos seminis tui non despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris dicet: Ecce adsum* (ib. 7 ss.).

V. Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt.

Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt, quid deberent facere peccantes magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri, misericordiae meritis peccata purgari. Et apud Salomonem legimns: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum: *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum* (Prov. 21, 13). Neque enim promereri misericor-

diam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in psalmis Spiritus sanctus declarat et probat dicens: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (Psal. 40, 2). Quorum praeceptorum memor Daniel, cum rex Nabuchodonosor adverso somnio territus aestuaret, pro avertendis malis ad divinam opem impetrandam remedium dedit dicens: *Propterea, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime et injustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus parcens peccatis tuis* (Dan. 4, 24). Cui rex non obtemperans, adversa quae viderat et infesta perpessus est: quae evadere et vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset. Raphael quoque angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat hortatur dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna: quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata* (Tob. 12, 8). Ostendit orationes nostras ac jejunia minus posse nisi eleemosynis adjuventur, deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione satientur.

Revelat angelus et manifestat et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis animas a morte liberari.

VI. Eleemosynarum virtus.

Nec sic, fratres carissimi, ista proferimus, ut non, quod Raphael angelus dixit, veritatis testimonio comprobemus. In actibus apostolorum facti fides posita est, et quod eleemosynis non tantum a secunda, sed a prima morte animae liberentur, gestae et impletae rei probatione compertum est. Tabitha operationibus justis et eleemosynis praestandis plurimum dedita, cum infirmata esset et mortua, ad cadaver exanime Petrus accitus est: qui cum impigre pro apostolica humanitate venisset, circumsteterunt eum viduae flentes et rogantes, pallia et tunicas et omnia illa, quae prius sumpserant, indumenta monstrantes, nec pro defuncta suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Cum itaque genibus nixus orasset, viduarum ac pauperum idoneus advocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset,

conversus ad corpus, quod in tabula jam lotum jacebat, *Tabitha*, inquit, *exsurge in nomine Jesu Christi* (Act. 9, 40). Nec defuit Petro, quo minus statim ferret auxilium, qui in Evangelio dari dixerat, quidquid fuisset ejus nomine postulatum. Mors itaque suspenditur et spiritus redditur, et mirantibus ac stupentibus cunctis ad hanc mundi denuo lucem redivivum corpus animatur. Tantum potuerunt misericordiae merita, tantum opera justa valuerunt. Quae laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.

VII. Christi de eleemosynis praecepta.

Itaque in Evangelio Dominus, doctor vitae nostrae et magister salutis aeternae, vivificans credentium populum et vivificatis consulens in aeternum, inter sua mandata divina et praecepta coelestia nihil crebrius mandat et praecipit, quam ut insistamus eleemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incubemus, sed coelestes thesauros potius recondamus. *Vendite*, inquit, *res vestras, et date eleemosynam* (Luc. 12, 33). Et iterum: *Nolite vobis condere thesauros super terram, ubi tinea et comestura exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur.*

Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque tinea neque comestura exterminat, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum (Matth. 6, 19 s.). Et cum observata lege perfectum et consummatum vellet ostendere: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade et vende omnia tua et da egenis, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). Item alio loco negotiatorem coelestis gratiae et comparatorem salutis aeternae, distractis omnibus rebus suis, pretiosam margaritam, hoc est, vitam aeternam Christi cruore pretiosam, de quantitate patrimonii sui dicit debere mercari. *Simile est*, inquit, *regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Ubi autem invenit pretiosam margaritam, abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit illam* (Matth. 13, 45).

VIII. Commendatio eleemosynae.

Eos denique et Abrahae filios dicit, quos in juvandis alendisque pauperibus operarios cernit. Nam cum Zachaeus dixisset: *Ecce dimidium ex substantia mea do egenis et si cui quid fraudavi quadruplum reddo*, respondit Jesus et dixit, *quia salus hodie*

huic domui facta est, quoniam et hic filius est Abrahae (Luc. 19, 8 s.). Nam si Abraham credidit Deo et deputatum est ei ad justitiam, utique qui secundum praeceptum Dei eleemosynas facit, Deo credit, et qui habet fidei veritatem, servat Dei timorem; qui autem Dei timorem servat, in miserationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim ideo, quia credit, quia scit vera esse, quae praedicta sunt verbis Dei, nec Scripturam sanctam posse mentiri, arbores infructuosas, id est, steriles homines excidi et in ignem mitti, misericordes autem ad regnum vocari. Qui et alio in loco operarios et fructuosos fideles appellat, infructuosis vero et sterilibus fidem derogat dicens: *Si in injusto mammona fideles non fuistis, quod est verum quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod est vestrum quis dabit vobis* (Luc. 16, 11 s.)?

IX. Misericors penuriam timere non debet.

Si vereris et metuis ne si operari plurimum coeperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus; finiri non potest, unde in usus Christi impenditur, unde opus coeleste celebratur. Nec hoc tibi

de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide et divinae pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus sanctus et dicit: *Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui autem avertit oculum suum in magna penuria erit* (Prov. 28, 27), ostendens misericordes atque operantes egere non posse, magis parcos et steriles ad inopiam postmodum devenire. Item beatus apostolus Paulus dominicae inspirationis gratia plenus: *Qui administrat*, inquit, *semen seminanti, et panem ad edendum praestabit, et multiplicabit seminationem vestram, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, ut in omnibus locupletemini.* Et iterum: *Administratio hujus officii non tantum supplebit ea, quae sanctis desunt, sed et abundabit per multam gratiarum actionem in Deum* (2. Cor. 9, 10 ss.). Quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur. Et Dominus in Evangelio jam tunc ejusmodi hominum corda considerans, et perfidis atque incredulis praescia voce denuncians contestatur et dicit: *Nolite cogitare dicentes: Quid edemus aut quid bibemus aut quid vestie-*

mur? Haec enim nationes quaerunt. Scit autem pater vester, quia omnium horum indigetis. Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia ista apponentur vobis (Matth. 6, 31 ss.). Eis omnia apponi dicit et tradi, qui regnum et justitiam Dei quaerunt. Eos enim Dominus, cum judicii dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti, qui fuerint in Ecclesia ejus operati.

X. Ne nimiam patrimonii rationem habeamus.

Metuis, ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter coeperis; et nescis, miser, quia dum times, ne res familiaris deficiat, vita ipsa et salus deficit, et dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis, quod ipse minuaris, amator magis mammonae quam animae tuae; ut dum times, ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas. Et ideo bene Apostolus clamat et dicit: *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulam et desideria multa et nocentia, quae mergunt hominem*

in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (1. Tim. 6, 7 ss.).

XI. Misericordi nunquam necessaria deerunt.

Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter coeperis. Quando enim factum est, ut justo possent decsse subsidia vitae, cum scriptum sit: *Non occidet fame Dominus animam justam* (Prov. 10, 3). Helias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, et Danieli in lacu ad leonum praedam jussu regis incluso prandium divinitus apparatur; et tu metuis, ne operanti tibi et Dominum promerenti desit alimentum, quando ipse in Evangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia est et fides parva, contestetur et dicat: *Aspicite volatilia coeli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, et pater vester coelestis alit illa. Nonne vos pluris illis estis* (Matth. 6, 26)? Volucres Deus pascit, et passeribus alimenta diurna praestantur; et quibus nullus divinae rei sensus est, eis nec potus nec cibus deest. Tu christiano, tu Dei

servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum?

XII. Qui pascit Christum, pascetur ab eo.

Nisi si putas, quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt, quibus coelestia et divina tribuuntur. Unde haec incredula cogitatio, unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit appellatur et dicitur christianus? Pharisaei tibi magis congruit nomen. Nam cum Dominus in Evangelio de eleemosynis disputaret, et ut nobis amicos de terrestribus lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in tabernacula aeterna susciperent, fideliter ac salubriter praemoneret, addidit post haec Scriptura dicens: *Audiebant autem haec omnia Pharisaei, qui erant cupidissimi, et irridebant eum* (Luc. 16, 14). Quales nunc quosdam in Ecclesia videmus, quorum praeclusae aures et corda caecata nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non oportet, quod contemnant in tractatibus servum, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.

XIII. Invehitur in eos qui propter nimium patrimonii augendi studium misericordiae opera negligunt.

Quid tibi in istis ineptis et stultis cogitationibus plaudis, quasi metu et sollicitudine futurorum ab operibus retarderis? Quid umbras et praestigias quasdam vanae excusationis obtendis? Confitere imo quae vera sunt; et quia scientes non potes fallere, secreta et abdita mentis exprome. Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebrae, et recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta et profunda avaritiae caligo caecavit. Pecuniae tuae captivus et servus es, catenis cupiditatis et vinculis alligatus es, et quem jam solverat Christus, denuo vinctus es. Servas pecuniam, quae te servata non servat. Patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat; nec meministi quid Deus responderit diviti exuberantium fructuum copiam stulta exsultatione jactanti: *Stulte*, inquit, *hac nocte expostulatur anima tua a te. Quae ergo parasti, cujus erunt* (Luc. 12, 20)? Quid divitiis tuis solus incubas, quid in poenam tuam patrimonii tui pondus exaggeras, ut quo locupletior seculo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos divide cum Domino

Deo tuo, fructus tuos partire cum Christo, fac tibi possessionum terrestrium Christum participem, ut et ille te sibi faciat regnorum coelestium cohaeredem.

XIV. Quid diviti faciendum sit.

Erras et falleris quisquis te in seculo divitem credis. Audi in Apocalypsi Domini tui vocem ejusmodi homines justis objurgationibus increpantem. *Dicis*, inquit, *dives sum et ditatus sum et nullius rei egeo; et nescis quoniam tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum de igni, ut sis dives, et vestem albam, ut vestiaris, et non appareat in te foeditas nuditatis tuae, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas* (Apoc. 3, 17 s.). Qui ergo locuples et dives es, eme tibi a Christo aurum ignitum, ut sordibus tuis tanquam igne decoctis, esse aurum mundum possis, si eleemosynis et justa operatione purgeris. Eme tibi albam vestem, ut qui secundum Adam nudus fueras et horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris. Et quae matrona in Ecclesia Christi locuples et dives es, inunge oculos tuos non stibio diaboli, sed collyrio Christi; ut perve-

nire ad videndum Deum possis, dum Deum et operibus et moribus promereris.

XV. Exemplum viduae evangelicae.

Ceterum quae talis es, nec operari in Ecclesia potes. Egentem enim et pauperem non vident oculi tui superfusi nigroris tenebris et nocte contecti. Locuples et dives es, et dominicum celebrare te credis, quae corban omnino non respicis, quae in dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis[1]). Intuere in Evangelio viduam praeceptorum coelestium memorem inter ipsas pressuras et angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo, quae sola sibi fuerant, minuta mittentem: quam cum animadverteret Dominus et videret, non de patrimonio sed de animo opus ejus examinans, et considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, respondit et dixit: *Amen dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei. Omnes enim*

---

[1]) *Dominicum* hic priori loco significat sacrificium, posteriori ipsam aedem sacram. *Corban* seu, ut alii legunt, Corbona pro thesauro oblationum seu pro ipsis oblatis eleemosynis accipitur, ut Marc. 7, 11. *Sacrificii* vero nomine designatur panis, quem de more fideles laici in sacrificii usum offerebant.

isti ex eo, quod abundavit illis, miserunt in dona Dei. Haec autem de inopia sua omnem quemcumque habuit victum misit (Luc. 21, 4). Multum beata mulier et gloriosa, quae etiam ante diem judicii judicis meruit voce laudari. Pudeat divites sterilitatis atque infidelitatis suae. Vidua, et vidua inops rebus, dives in opere invenitur. Cumque universa, quae dantur, pupillis et viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere; ut sciamus quae poena sterilem divitem maneat, quando hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Atque ut intelligamus, haec opera Deo dari et eum, quisquis haec faciat, Dominum promereri, Christus illud Dei dona appellat et in dona Dei viduam duos quadrantes misisse significat, ut magis ac magis possit esse manifestum, quia qui miseretur pauperis Deum fenerat.

XVI. Nec filiorum numerus a facienda eleemosyna excusat.

Sed nec illa res, fratres carissimi, a bonis operibus et justis refrenet et revocet christianum, quod excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorum, quando in impensis spiritualibus Christum cogitare, qui accipere se professus est, debeamus, nec con-

servos liberis nostris sed Dominum praeferamus, ipso instruente et monente: *Qui diligit*, inquit, *patrem aut matrem super me, non est me dignus; et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus* (Matth. 10, 37). Item in Deuteronomio ad corroborationem fidei et dilectionem Dei paria conscripta sunt. *Qui dicunt*, inquit, *patri aut matri: Non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt praecepta tua, et testamentum tuum servaverunt* (Deut. 33, 9). Nam si Deum toto corde diligimus, nec parentes nec filios Deo praeferre debemus. Quod et Joannes in epistola sua ponit, caritatem Dei apud eos non esse, quos videamus operari in pauperes nolle. *Qui habuerit*, inquit, *substantiam mundi et viderit fratrem suum desiderantem et clauserit viscera sua, quomodo caritas Dei manet in illo* (1. Joa. 3, 17)? Si enim Deus eleemosynis pauperum feneratur, et cum datur minimis, Christo datur, non est quod quis terrena coelestibus praeferat, nec divinis humana praeponat.

XVII. Exemplum viduae Sarephtanae.

Sic vidua illa in tertio regnorum libro, cum in siccitate et fame consumptis omnibus de modico farre et oleo, quod superfuerat,

fecisset subcinericium panem, quo absumpto moritura cum liberis esset, supervenit Helias et petiit sibi prius ad edendum dari, tunc quod superfuisset inde illam cum filiis suis vesci. Nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliae filios mater in fame et egestate praeposuit. Fit imo in conspectu Dei, quod Deo placeat; prompte ac libenter, quod petebatur, offertur; nec de abundantia portio, sed de modico totum datur et, esurientibus liberis, alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus antequam misericordia cogitatur; ut dum in opere salutari carnaliter vita contemnitur, spiritualiter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, et quod ille pro misericordia vicem singulis reddat ostendens, respondit et dixit: *Haec dicit Dominus: Fidelia farris non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem, quo dabit Dominus imbrem super terram* (3. Reg. 17, 14). Secundum divinae pollicitationis fidem multiplicata sunt viduae et cumulata quae praestitit, et operibus justis ac misericordiae meritis augmenta et incrementa sumentibus farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater, quod Heliae dedit, sed magis contulit filiis, quod benigne et pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, non-

dum praecepta ejus audierat, non cruce et passione ejus redempta cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat, quantum in Ecclesia peccet, qui se et filios Christo anteponens divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

XVIII. Quo plures filii eo magis faciendae sunt eleemosynae.

Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum quo minus largiter bonis operibus insistas. Atqui hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandae conscientiae, multorum animae liberandae. Ut in hac vita seculari alendis sustinendisque pignoribus, quo major est numerus, hoc major et sumptus est, ita et in vita spirituali atque coelesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quoti-

diana non deerant, quibus possent peccata tergeri. Probat Scriptura divina dicens: *Job homo verus et justus habuit filios septem et filias tres, et emundabat illos, offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, et pro peccatis eorum vitulum unum* (Job. 1, 2 ss.). Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem caritatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes.

XIX. Eleemosynae filiis prosunt.

Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui et temporarius et infirmus est, sed illum pares, qui aeternus et firmus filiorum spiritualium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas heredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias seculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hereditas ponitur, quae Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus in posterum providere, hoc est futuris heredibus paterna pietate consulere secundum fidem Scripturae sanctae dicentis: *Junior fui, et senui, et non vidi justum*

derelictum, neque semen ejus egens pane. Tota die miseretur et fenerat, et semen ejus in benedictione est (Psal. 36, 25). Et iterum: *Qui conversatur sine vituperatione in justitia, beatos post se filios relinquet* (Prov. 20, 7). Praevaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa et vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam coelesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quam Christo, bis delinquis et geminum ac duplex crimen admittis, et quod non praeparas filiis tuis Dei patris auxilium, et quod doces filios patrimonium plus amare quam Christum.

XX. Exemplum Tobiae.

Esto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias exstitit. Da utilia et salutaria praecepta pignoribus, qualia ille filio dedit; manda filiis tuis, quod et ille filio mandavit dicens: *Et nunc, fili, mando tibi, servi Deo in veritate et fac coram illo quod illi placet, et filiis tuis manda, ut faciant justitiam et eleemosynas et sint memores Dei et benedicant nomen ejus omni tempore* (Tob. 14, 10 s.). Et iterum: *Omnibus diebus vitae tuae, fili dilectissime, Deum*

in mente habe et noli praeterire praecepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitae tuae et noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita fiet, ut nec a te avertatur facies Dei. Prout habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam. Si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam. Praemium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis, quia eleemosyna a morte liberat et non patitur ire in gehennam. Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo (ib. 4, 6 ss.).

XXI. Deus eleemosynarum spectator.

Quale munus est, fratres carissimi, cujus editio Deo spectante celebratur [1])? Si in gentilium munere grande et gloriosum videtur proconsules vel imperatores habere prae-

---

[1]) *Munus* significat hic spectaculum, ludum publicum; qui spectaculum, ludum dabat seu edebat, dicebatur *munerarius*.

sentes, et apparatus ac sumptus apud munerarios major est, ut possint placere majoribus, quanto illustrior muneris et major est gloria Deum et Christum spectatores habere? Quanto istic et apparatus uberior et sumptus largior exhibendus est, ubi ad spectaculum conveniunt coelorum virtutes, conveniunt angeli omnes, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita aeterna praestatur, nec captatur inanis et temporarius favor vulgi, sed perpetuum praemium regni coelestis accipitur?

XXII. Quam pudendum divites daemoni potius quam Christo obsequi.

Atque ut pigros et steriles et cupiditate nummaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, ut plus conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suae rubor caedat, ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis in medium prosilire, plebem Christi, praesente et judicante ipso, comparationis examine provocare dicentem: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris re-

demi; sed nec regnum illis coeleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quaesita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis; ac nisi editio honesta successerit, conviciis ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnunquam pene lapidantur? Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, illos divites, illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesia praesidente et spectante te ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, imo ad coelestes thesauros mutata in melius possessione translatis. In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potus solatio sustinetur. Cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu aeternam vitam operantibus polliceris; et vix tui meis pereuntibus adaequantur, qui a te divinis mercedibus et praemiis coelestibus honorantur.

XXIII. Qui non faciunt eleemosynas inexcusabiles sunt.

Quid ad haec respondemus, fratres carissimi? Sacrilega sterilitate et quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes qua ratione defendimus, qua excusatione purgamus, qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem nec in modicis rependamus? Praecepta ille nobis dedit, quid facere servos suos oporteret instruxit, operantibus praemium pollicitus et supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit ante praedixit. Quae potest excusatio esse cessanti, quae defensio sterili? Nisi quod non faciente servo quod praecipitur, Dominus faciet quod minatur, qui et dicit: *Cum venerit filius hominis in claritate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suae, et colligentur ante eum omnes gentes, et segregabit eos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hoedis, et statuet oves ad dexteram suam, hoedos autem ad sinistram. Tunc dicet Rex iis, qui ad dexteram suam erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine*

mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et potastis me; hospes fui et adduxistis me; nudus et vestistis me; infirmatus sum et visitastis me; in carcere fui et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potavimus? Quando te vidimus hospitem et adduximus; nudum et vestivimus; quando autem te vidimus infirmari et in carcere et venimus ad te? Tunc respondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et illis, qui ad sinistram ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi et non potastis me; hospes fui et non adduxistis me; nudus et non vestistis me; infirmus et in carcere et non visitastis me. Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem aut hospitem aut nudum aut infirmum aut in carcere et non ministravimus tibi? Et respondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis his, neque mihi fecistis.

Et abibunt isti in ambustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam (Matth. 25, 31 ss.). Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo magis potuit justitiae ac misericordiae nostrae opera provocare, quam quod praestari dixit sibi, quidquid egenti praestatur et pauperi, et se dixit offendi, nisi egenti praestetur et pauperi; ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo, quem despicit, constitutum.

XXIV. Exhortatio ad opera misericordiae.

Et idcirco, fratres carissimi, quibus metus in Deum pronus est et spreto calcatoque jam mundo ad superna et divina animus erectus est, fide plena, mente devota, operatione continua promerendo Domino obsequium praebeamus. Demus Christo vestimenta terrena, indumenta coelestia recepturi. Demus cibum et potum secularem, cum Abraham et Isaac et Jacob ad convivium coeleste venturi. Ne parum metamus, plurimum seminemus. Securitati ac saluti aeternae, dum tempus est consulamus, Paulo apostolo admonente et dicente: *Ergo dum tempus habemus opere-*

mur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus (Gal. 6, 10).

XXV. Imitemur Deum patrem nostrum.

Cogitemus, fratres dilectissimi, quid sub apostolis fecerit credentium populus, quando inter ipsa primordia majoribus virtutibus mens vigebat, quando credentium fides novo adhuc fidei calore fervebat. Domicilia tunc et praedia venundabant et dispensandam pauperibus quantitatem libenter ac largiter apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto, fundos illuc transferentes, ubi fructus caperent possessionis aeternae, illic comparantes domos, ubi inciperent semper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis in dilectione consensus, sicut legimus in actis apostolorum: *Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebant; nec fuit inter illos discrimen ullum, nec quidquam suum judicabant ex bonis, quae eis erant, sed fuerunt illis omnia communia* (Act. 4, 32). Hoc est nativitate spirituali vere Dei filios fieri, hoc est lege coelesti aequitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei est

in nostra usurpatione commune est, nec quisquam a beneficiis ejus et muneribus arcetur, quo minus omne humanum genus bonitate ac largitate divina aequaliter perfruatur. Sic aequaliter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat; et dormientibus somnus unus est et stellarum splendor ac lunae communis est. Quo aequalitatis exemplo qui possessor in terris redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est.

XXVI. Praemium eleemosynae ejusque fructus.

Quae illa erit, fratres carissimi, operantium gloria, quam grandis et summa laetitia, cum populum suum Dominus coeperit recensere, et meritis atque operibus nostris praemia promissa contribuens pro terrenis coelestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna praestare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit, aeternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui vivificatione reparavit, reduces ad paradisum denuo facere, regna coelorum fide et veritate suae pollicitationis aperire! Haec haereant firmiter sensibus

nostris, haec intelligantur plena fide, haec corde toto diligantur, haec indesinentium operum magnanimitate redimantur. Praeclara et divina res, fratres carissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostrae salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo christianus adjutus perfert gratiam spiritualem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiae Deo et Christo spectante curramus, et qui seculi et mundo majores esse jam coepimus, cursum nostrum nulla seculi et mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos vel redditionis vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad praemium deerit. In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

S. CYPRIANI

LIBER DE BONO PATIENTIAE [1]).

I. Patientiae necessitas.

De patientia locuturus, fratres dilectissimi, et utilitates ejus et commoda praedica-

---

[1]) Ipse Cyprianus testatur librum *de bono Patientiae* se composuisse occasione quaestionis motae magisque incalescentis circa haereticorum baptismi reiterationem, ita ad Jubajanum scribens (ep. 73. n. 26): »Nos, quantum in nobis est, propter haereticos cum coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus..... Servatur a nobis patienter et leniter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum hunc *de bono Patientiae*, quantum valuit mediocritas nostra permittente Domino et inspirante conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus.« Quare, ut animadvertit Lumper (*Hist. theol. crit. de vita etc. SS. PP.* p. 11. s. 3. c. 4. a. 8), liber hic scriptus est vel exeunte a. 255. vel ineunte 256., quo tempore majorem in modum discordiae exarserunt.

turus, unde potius incipiam, quam quod nunc quoque ad audientiam vestram patientiam video esse necessariam, ut nec hoc ipsum, quod auditis et discitis, sine patientia facere possitis. Tunc enim demum sermo et ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur audiatur. Nec invenio, fratres dilectissimi, inter ceteras coelestis disciplinae vias, quibus ad consequenda divinitus praemia spei ac fidei nostrae secta dirigitur, quid magis sit vel utilius ad vitam vel majus ad gloriam, quam ut qui praeceptis dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota observatione tueamur.

II. Philosophorum patientia est falsa.

Hanc se sectari philosophi quoque profitentur. Sed tam illic patientia falsa est quam et falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam nec patientiam Dei novit, quando ipse de his, qui sibi sapere in mundo videntur, moneat et dicat: *Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo* (Isa. 29, 14); item beatus apostolus Paulus plenus Spiritu sancto et vocandis formandisque gentibus missus contestetur

et instruat, dicens: *Videte ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis* (Coloss. 2, 8). Et alio loco: *Nemo se*, inquit, *decipiat. Si quis se putat sapientem esse in vobis, mundo huic stultus fiat, ut fiat sapiens. Sapientia enim mundi hujus stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Reprehendam sapientes in astutia ipsorum.* Et iterum: *Cognovit Dominus cogitationes sapientium quia sunt stultae* (1. Cor. 3, 18 ss.). Quare si sapientia illic vera non est, esse non potest et vera patientia. Nam si sapiens ille est, qui est humilis et mitis, philosophos autem nec humiles videmus esse nec mites, sed sibi multum placentes, et hoc ipso quod sibi placeant Deo displicentes, apparet illic veram non esse patientiam, ubi sit insolens affectatae libertatis audacia et exserti ac seminudi pectoris inverecunda jactantia.

III. Diligenda patientia homini, quae Deo cara est.

Nos autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis sed factis sumus, nec

vestitu sapientiam sed veritate praeferimus, qui virtutum conscientiam magis quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus quasi servi et cultores Dei, patientiam quam magisteriis coelestibus discimus, obsequiis spiritualibus praebeamus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus et dignitas caput sumit. Origo et magnitudo patientiae Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quae Deo cara est. Bonum quod amat, majestas divina commendat. Si Dominus nobis et pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter et patris: quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres.

IV. Patientia Dei erga peccatores.

Qualis vero in Deo et quanta patientia, quod in contumeliam suae majestatis et honoris instituta ab hominibus profana templa et terrena figmenta et sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos et malos aequaliter facit diem nasci et lumen solis oboriri, et cum imbribus terras rigat, nemo a beneficiis ejus excluditur, quo minus justis similiter et injustis indiscretas pluvias largiatur. Videmus inseparabili aequalitate pa-

tientiae nocentibus et innoxiis, religiosis et impiis, gratias agentibus et ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus maturescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, et praestitutum semel retributionis diem patienter exspectat. Cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer et differens, ut, si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, et homo in errorum et scelerum contagione volutatus vel sero ad Deum convertatur, ipso monente et dicente: *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat* (Ezech. 33, 11). Et iterum: *Revertimini ad me, dicit Dominus* (Malach. 3, 7). Et iterum: *Revertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius et patiens et multae miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* (Joel. 2, 13). Quod item beatus apostolus Paulus commemorans et peccatorem ad poenitentiam revocans proponit et dicit: *An numquid opulentiam bonitatis ejus et sustinentiam et pa-*

tientiam contemnis, ignorans quoniam patientia et bonitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. 2, 4 ss.). Justum judicium Dei dixit esse, quia serum est, quia diu multumque differtur, ut homini ad vitam longa Dei patientia consulatur. Tunc repraesentatur poena impio et peccatori, quando jam non potest poenitentia prodesse peccati.

V. Qui patiens est, Dei patris est imitator.

Atque ut plenius intelligere possimus, fratres dilectissimi, quia patientia Dei res est, et quisquis lenis et patiens et mitis est, Dei Patris imitator est, cum in Evangelio suo Dominus praecepta in salutem daret, et divina monita depromens ad perfectum discipulos erudiret, posuit et dixit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et*

malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne sic et publicani faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici idipsum faciunt. Estote itaque vos perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est (Matth. 5, 43 ss.). Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit et docuit coelesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur et luceat in actibus nostris. Quae gloria est similem Deo fieri, qualis et quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus possit aequari.

VI. Jesus Christus patientiae exemplar.

Nec hoc, fratres dilectissimi, Jesus Christus Deus et Dominus noster tantum verbis docuit, sed implevit et factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, inter cetera mirabilia virtutum suarum, quibus indicia divinae majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiae tenore servavit. Omnes denique actus ejus ab ipso statim adventu patientia comite signantur, quod primum de illa sublimitate

coelesti ad terrena descendens non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere, et cum peccator ipse non esset, aliena peccata portare. Immortalitate interim posita, fieri se et mortalem patitur, ut innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur a servo; et remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta jejunat, per quem ceteri saginantur; esurit et famem sentit, ut qui in fame sermonis et gratiae fuerant, coelesti pane saturentur. Cum diabolo tentante congreditur, et inimicum tantum vicisse contentus, nihil ultra verba conatur. Discipulis non ut servis dominica potestate praefuit, sed benignus et mitis fraterna eos caritate dilexit. Dignatus est etiam pedes apostolorum lavare; ut dum circa servos talis est Dominus, exemplo suo doceret, qualis circa compares et aequales debeat esse conservus. Nec mirandum, quod circa obedientes talis extiterit, qui Judam potuit usque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico capere, hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare. In judaeis vero tolerandis aequanimitas quanta et quanta patientia, incredulos ad fidem suadendo

flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, prophetarum interfectores et adversum Deum semper rebelles usque ad crucis et passionis horam velle colligere.

VII. Insignis Christi patientia in summis doloribus.

Sub ipsa autem passione et cruce, priusquam ad crudelitatem necis et effusionem sanguinis veniretur, quae conviciorum probra patienter audita, quae contumeliarum tolerata ludibria, ut insultantium sputamina exciperet, qui sputo suo caeci oculos paulo ante formasset, et in cujus nomine a servis nunc ejus diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat aeternis; palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit; spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; cibaretur felle, qui cibum coelestem dedit; aceto potaretur, qui salutare poculum propinavit. Ille innocens, ille justus, imo innocentia ipsa et ipsa justitia, inter facinorosos deputatur, et testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus,

et Dei Sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, sol, ne judaeorum facinus aspicere cogatur, et radios et oculos suos subtrahat, ille non loquitur, nec movetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur. Usque ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut consummetur in Christo plena et perfecta patientia.

VIII. Christi patientia erga suos inimiços.

Et post ista omnia adhuc interfectores suos, si conversi ad eum venerint, suscipit; et patientia salutari ad conservandum benignus et patiens Ecclesiam suam nemini claudit. Illos adversarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si poenitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed et ad praemium regni coelestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? Vivificatur Christi sanguine etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia; quae nisi talis ac tanta existeret, Paulum quoque apostolum Ecclesia non haberet.

IX. Per Christi exempla nobis est gradiendum.

Quod si et nos, fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostrae via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Joannes apostolus instruit, dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare* (1. Joa. 2, 6). Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in epistola sua ponit et dicit: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, qui cum malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem se judicanti se injuste* (1. Pet. 2, 21 ss.).

X. Sanctorum V. T. insignis patientia.

Invenimus denique et patriarchas et prophetas et justos omnes, qui figuram Christi imagine praeeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quam quod patientiam forti et stabili aequanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrii

et passionem justi hominis initians primus et dedicans, adversus fratrem fratricidam non resistit nec reluctatur, sed humilis et mitis patienter occiditur. Sic Abraham Deo credens et radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio non dubitat neque cunctatur, sed praeceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiae dominicae similitudinem praefiguratus, quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Jacob fugatus a fratre de terra sua patienter excedit, et majore patientia postmodum supplex adhuc magis impium et persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Joseph venundatus a fratribus et relegatus non tantum patienter ignoscit, sed et gratuita frumenta venientibus largiter et clementer impertit. Moyses ab ingrato et perfido populo contemnitur frequenter et pene lapidatur, et tamen lenis et patiens pro eisdem Dominum deprecatur. In David vero, ex quo secundum carnem Christi nativitas oritur, quam magna et mira et christiana patientia, habuisse in manu saepe, ut Saul regem persequentem se et interficere concupiscentem posset occidere, et tamen subditum sibi et traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum

adhuc insuper et vindicasse. Tot denique prophetae interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad coelestes coronas patientiae laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum et passionum corona, nisi praecedat in dolore et passione patientia.

XI. Sententia Dei in Adamum transgressorem ejusque posteros lata.

Quam sit autem patientia utilis et necessaria, fratres dilectissimi, ut manifestius possit et plenius nosci, Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi et generis humani Adam praecepti immemor et datae legis transgressor accepit. Tunc sciemus quam patientes esse in isto seculo debeamus, qui sic nascimur, ut pressuris istic et conflictationibus laboremus. *Quia audisti*, inquit, *vocem mulieris tuae et manducasti ex illa arbore, de qua sola praeceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis, in tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitae tuae, spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri, in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es, et in terram*

ibis (Gen. 3, 17 ss.). Hujus sententiae vinculo colligati omnes et constricti sumus, donec expuncta morte de isto seculo recedamus. In tristitia et gemitu simus necesse est omnibus diebus vitae nostrae, edamus panem necesse est cum sudore et labore.

XII. Patientiae necessitas in tot hujus vitae malis.

Unde unusquisque nostrum, cum nascitur et hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lacrymis, et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate quam flere. Providentia naturali lamentatur, vitae mortalis anxietates et labores et procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu et gemitu rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur et laboratur. Nec sudantibus et laborantibus possunt alia magis quam patientiae subvenire solatia: quae cum apta sint et necessaria in isto mundo universis, tum magis nobis, qui diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie quotidie stantes, inveterati et exercitati hostis colluctationibus fatigamur, quibus praeter varias et assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relin-

quenda sunt, subeundus carcer, portandae catenae, animae impendendae, gladius, bestiae, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac poenarum genera fide et virtute patientiae perferenda, Domino ipso instruente et dicente: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram habebitis, sed fidite, quoniam ego vici mundum* (Joa. 16, 33). Si autem qui diabolo et mundo renunciavimus, pressuras et infestationes diaboli et mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam tenere debemus, qua adjutrice et comite omnia infesta toleremus?

XIII. Ad perseverandum patientia opus est.

Domini et magistri nostri salutare praeceptum est: *Qui toleraverit*, inquit, *usque ad finem, hic salvus erit* (Matth. 10, 22). Et iterum: *Si permanseritis*, inquit, *in verbo meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (Joa. 8, 31 s.). Tolerandum et perseverandum est, fratres dilectissimi, ut ad spem veritatis et libertatis admissi, ad veritatem et libertatem ipsam pervenire possimus: quia hoc ipsum, quod christiani sumus, fidei et spei res est. Ut autem spes et fides ad fructum sui possint

pervenire, patientia opus est. Non enim praesentem gloriam sequimur, sed futuram, secundum quod et Paulus apostolus monet dicens: *Spe salvati sumus. Spes autem quae videtur non est spes. Quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (Rom. 8, 24 s.). Propterea exspectatio et patientia necessaria est, ut id quod coepimus impleamus, et quod credimus et speramus Deo repraesentante capiamus. Denique alio in loco idem Apostolus justos et operantes, et divini fenoris incremento coelestes thesauros sibi recondentes, ut patientes quoque sint instruit et docet, dicens: *Ergo dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maxime vero ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus* (Gal. 6, 9 s.). Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus aut victus in medio laudis et gloriae itinere desistat, et pereant praeterita, dum quae coeperant desinunt esse perfecta, sicut scriptum est: *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die exerraverit* (Ezech. 33, 12). Et iterum: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. 3, 11). Quae

vox adhortatur patienter et fortiter perseverare, ut qui ad coronam laude jam proxima nititur, durante patientia coronetur.

XIV. Patientia vitantur peccata.

Patientia autem, fratres dilectissimi, non tantum bona custodit, sed et repellit adversa. Spiritui sancto favens et coelestibus ac divinis cohaerens contra facta carnis et corporis, quibus anima expugnatur et capitur, virtutum suarum propugnaculo reluctatur. Inspiciamus denique pauca de multis, ut de paucis intelligantur et cetera. Adulterium, fraus, homicidium mortale crimen est. Sit fortis et stabilis in corde patientia; et nec adulterio sanctificatum corpus et Dei templum polluitur, nec justitiae dicata innocentia contagione fraudis inficitur, nec post gestatam eucharistiam manus gladio et cruore maculatur.

XV. Caritas absque patientia esse nequit.

Caritas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quae et spe et fide major est, quae et opera et martyria praecedit, quae nobiscum semper aeterna apud Deum in regnis coelestibus permanebit. Tolle illi patientiam, et desolata non durat. Tolle illi sustinendi to-

lerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat. Apostolus denique cum de caritate loqueretur, tolerantiam illi et patientiam junxit. *Caritas*, inquit, *magnanima est, caritas benigna est, caritas non aemulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (1. Cor. 13, 4 ss.). Ostendit inde illam perseverare tenaciter posse, quod noverit omnia sustinere. Et alio in loco: *Sustinentes*, inquit, *invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* (Ephes. 4, 2 s.). Probavit nec unitatem servari posse nec pacem, nisi se invicem fratres mutua tolerantia foverent, et concordiae vinculum patientia intercedente custodiant.

XVI. Dei praecepta sine patientia servari non possunt.

Quid deinde, ut non jures, neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut accepta alapa et alteram maxillam verberanti praebeas, ut fratri in te peccanti non tantum septies sed septuagies septies, sed et omnia omnino peccata dimittas, ut diligas inimicos tuos, ut pro adversariis et persecutoribus precem facias; poterisne ista perficere, nisi

patientiae et tolerantiae teneas firmitatem? Quod factum videmus in Stephano; qui cum a judaeis vi et lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus veniam postulabat dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (Act. 7, 59). Sic esse oportuit primum martyrem Christi, qui martyres secuturos gloriosa morte praecurrens, non tantum dominicae passionis praedicator esset, sed et patientissimae lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de discordia, de simultate, quae in christiano esse non debent? Sit patientia in pectore, et haec illic locum habere non possunt; aut si adire tentaverint, cito exclusa discedunt, ut domicilium pacificum perseveret in corde, ubi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apostolus et docet, dicens: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia auferatur a vobis* (Ephes. 4, 30 s.). Si enim christianus a furore et contentione carnali tanquam de maris turbinibus excessit, et tranquillus ac lenis in portu Christi esse jam coepit, nec iram nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat nec odisse.

XVII. Ad carnis incommoda ferenda patientia opus est.

Nec non ad varia quoque carnis incommoda et crebros corporis durosque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur et quatitur, patientia necessaria est. Nam cum in illa prima transgressione praecepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, et cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi nisi cum recepta et immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari semper et congredi. Quae luctatio et congressio non nisi patientiae viribus potest sustineri. Examinandis autem nobis atque explorandis diversi importantur dolores, et multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amissione carorum. Nec aliud magis inter injustos discernit et justos, quam quod in adversis per impatientiam queritur et blasphemat injustus, patientia justus probatur, sicut scriptum est: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum* (Eccli. 2, 4 s.).

XVIII. Patientia Job et Tobiae.

Sic Job examinatus est et probatus, et ad summum fastigium laudis patientiae virtute provectus. Quanta adversus eum diaboli jacula emissa, quanta admota tormenta. Jactura rei familiaris infligitur, numerosae sobolis orbitas irrogatur. Dives in censu dominus, et in liberis pater ditior, nec dominus repente nec pater est. Accedit vulnerum vastitas, et tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium poena consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Job in suis tentationibus experiretur, armat diabolus et uxorem, illo antiquo nequitiae suae usus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset et fallere, quod fecit in mundi origine; nec tamen Job gravibus ac densis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas angustias et pressuras suas Dei benedictio victrice patientia praedicetur. Tobias quoque post justitiae et misericordiae suae opera magnifica luminum amissione tentatus, in quantum patienter caecitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiae laude promeruit.

XIX. Impatientiae exordia et tristes effectus.

Atque ut magis, fratres dilectissimi, patientiae bonum luceat, quid mali e contrario impatientia importet consideremus. Nam ut patientia bonum Christi est, sic e contra impatientia diaboli malum; et sicut in quo habitat et manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper exsistit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit. Inde et periit primus et perdidit. Adam contra coeleste praeceptum cibi letalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit; et ut fratrem Cain perimeret, sacrificii ejus et muneris impatiens fuit; et quod Esau de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis amisit. Quid judaicus populus circa beneficia divina perfidus et ingratus, nonne quod a Deo primum recessit, impatientiae crimen fuit, dum Moysi cum Deo colloquentis moras non potest ferre, profanos deos ausus est postulare, ut itineris sui duces nuncuparet caput bubulum et terrestre figmentum; nec unquam ab eadem impatien-

tia destitit, quo minus semper docilitatis et divinae admonitionis impatiens, prophetas suos et justos quosque perimendo, ad crucem quoque et ad sanguinem Domini prosiliret. Impatientia etiam in Ecclesia haereticos facit, et ad judaeorum similitudinem contra Christi pacem et caritatem rebelles ad hostilia et furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere, omnia omnino, quae patientia operibus suis aedificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam.

XX. Late patet patientiae virtus.

Quare, fratres dilectissimi, et bonis patientiae et impatientiae malis diligenter expensis, patientiam, per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus, plena observatione teneamus; quae copiosa et multiplex non angusto fine concluditur, nec brevibus terminis coercetur. Late patet patientiae virtus; et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quae nos Deo et commendat et servat. Ipsa

est, quae iram temperat, quae linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis exstinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam caritatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est, quae fidei nostrae fundamenta firmiter munit. Ipsa est, quae incrementa spei sublimiter provehit. Ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur. Ipsa efficit, ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

XXI. Patienter exspectandus est ultionis dies.

Sed quoniam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere injuriarum angentium vel dolore de iis, qui adversum se grassantur et saeviunt, vindicari velociter cupere, nec

illud in extrema parte reticendum est, ut in istis fluctuantis mundi turbinibus et judaeorum sive gentilium et haereticorum quoque persecutionibus constituti patienter exspectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit: *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in testimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges et effundam super eos iram meam* (Soph. 3, 8). Exspectare nos jubet Dominus et futurae ultionis diem forti patientia sustinere. Qui et in Apocalypsi loquitur dicens: *Ne signaveris verba prophetiae libri hujus, quia jam tempus in proximo est, ut et ii qui perseverant nocere noceant, et qui in sordibus est sordescat adhuc, justus autem adhuc justiora faciat, similiter et qui sanctus est sanctiora. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua* (Apoc. 22, 10 ss.). Unde etiam clamantes martyres et ad vindictam suam dolore erumpente properantes exspectare adhuc jubentur et temporibus consummandis implendisque martyribus praebere patientiam. *Et cum aperuisset*, inquit, *quintum sigillum, vidi sub ara Dei animas occisorum*

propter verbum Dei et martyrium suum, et clamaverunt voce magna dicentes: Quousque, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de iis, qui in terris inhabitant? Et datae sunt eis singulae stolae albae, et dictum est eis, ut requiescerent brevi adhuc tempore, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum, qui postea occidentur exemplo ipsorum (Apoc. 6, 9 ss.).

XXII. Vaticinia prophetarum de die judicii.

Quando autem veniat sanguinis justi divina vindicta declarat per Malachiam prophetam Spiritus sanctus dicens: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus; eruntque omnes alienigenae et omnes iniqui stipula, et succendet illos adveniens dies, dicit Dominus* (Malach. 4, 1). Quod item legimus in psalmis, ubi Dei judicis praedicatur adventus censurae suae majestate venerandus. *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus procella nimia. Advocabit coelum sursum et terram deorsum, ut separet populum suum. Colligite illi justos ejus, eos qui disponunt testamentum ejus in sacrificiis; et annunciabunt coeli justi-*

tiam ejus, quoniam Deus judex est (Psal. 49, 3 ss.). Et Esaias eadem praenunciat, dicens: *Ecce enim Dominus sicut ignis veniet, et sicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam. In igne enim Domini judicabuntur, et in gladio ejus vulnerabuntur* (Isa. 66, 15). Et iterum: *Dominus Deus virtutum prodibit et comminuet bellum, excitabit certamen, et clamabit super inimicos suos cum fortitudine. Tacui, numquid semper tacebo* (Isa. 42, 13)?

XXIII. Christus qui tacuit in passione, in ultimo judicio non tacebit.

Quis autem est hic, qui tacuisse se prius dicit et non semper tacebit? Utique ille, qui sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce non aperuit os suum. Utique ille, qui non clamavit, neque in plateis vox ejus audita est. Utique ille, qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella et maxillas ad palmas, faciem autem suam non avertit a foeditate sputorum. Utique ille, qui cum accusaretur a sacerdotibus et senioribus, nihil respondit, et admirante Pilato patientissimum silentium tenuit. Hic est qui cum in passione tacuerit, in ultione postmodum

non tacebit. Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium et credentium Deus, qui cum in secundo adventu manifestus venerit, non silebit. Nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus.

XXIV. Judicem et vindicem nostrum patienter exspectemus.

Hunc exspectemus, fratres dilectissimi, judicem et vindicem nostrum, Ecclesiae suae populum et ab initio mundi justorum omnium numerum secum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam suam nimium festinat et properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse, qui vindicat. Pater Deus praecepit Filium suum adorari, et apostolus Paulus divini praecepti memor ponit et dicit: *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum* (Philip. 2, 9 s). Et in Apocalypsi angelus Joanni volenti adorare se resistit et dicit: *Vide ne feceris, quia conservus tuus sum et fratrum tuorum. Jesum Dominum adora* (Apoc. 22, 9). Qualis Dominus Jesus et quanta patientia ejus, ut qui in coelis adoratur, necdum vindicetur in terris.

Hujus patientiam, fratres dilectissimi, in persecutionibus et passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum exspectationis obsequium praebeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa et inverecunda festinatione properemus. Insistamus potius et elaboremus, et toto corde vigilantes atque ad omnem tolerantiam stabiles, dominica praecepta servemus; ut cum ille irae et vindictae dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur.

QUINTI SEPTIMII FLORENTII TERTULLIANI

LIBER DE PATIENTIA[1]).

CAPUT I.

Patientiae praestantia philosophorum gentilium suffragio comprobatur.

Confiteor ad Dominum Deum, satis temere me, si non etiam impudenter, de patientia

[1]) Plures critici primi nominis censent librum *de Patientia* a Tertulliano adhucdum catholico circa a. 200. conscriptum fuisse, ut Tillemont, Ceillier, Schram; cl. tamen Lumper (*Hist. theol. crit.* P. 6. c. 2. a. 4. §. 1.) etiam in hoc *quamvis praeclaro libello* plura reperisse sibi visus est, quae animum Tertulliani Montanistarum erroribus non leviter tinctum ostendant; imo „omnes fere Montanistarum errores ibi esse propositos“ affirmat; et quamvis hi errores „non possint nisi per quaedam veluti involucra in hoc libro perspici, tamen ex eo nihil efficitur, nisi quod hic libellus sit ex eo tempore, quo illa Tertulliani contentio in defendendis Montanistarum scitis vel nondum exarserat, vel restincta aliquo modo erat. Aetas igitur hujus libelli non satis certa est.“ Hoc tamen non impediit, quo minus aliorum eruditorum judicium secutus *aureum* hunc libellum appellaret. Sed tam acri censurae lector aequus vix subscribet, nullusque Tertulliani liber erit, qui Montani-

componere ausum, cui praestandae idoneus omnino non sim, ut homo nullius boni; quando oporteat demonstrationem et commendationem alicujus rei adortos, ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, et constantiam commonendi propriae conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque utinam erubescere istud remedium ferat, uti pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus, exhibendi fiat magisterium[1]): nisi quod bonorum quo-

starum erroribus tinctus non sit dicendus. Plus vidisse in hoc libello Lumper videtur, quam verbis continetur. Ceterum comparatione instituta inter hunc librum et illum, quem S. Cyprianus de eodem argumento composuit, apparet S. Martyrem non in paucis Tertullianum esse secutum; neque mirum, refert enim S. Hieronymus de S. Cypriano (de viris illustr. c. 53): „Nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem praeterisse ac sibi (i. e. notario suo ex cujus relatione haec narrat Hieronymus) crebro dicere: *Da magistrum,* Tertullianum videlicet significans.“ Hinc sicut S. Cyprianus patientiae laudes describit, omnesque ad eandem exhortatur.

[1]) Se indignum professus, qui de patientia scribat ait, melius esse eam factis commendare quam verbis, ut et facta dictis auctoritatem concilient, et dicta non adversentur factis. Hoc tamen commodi ex hac lucubratione se assecuturum sperat, quod „pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus“ i. e. commendamus, patientiae exercendae fiat magisterium.

rundam, sicuti et malorum, intolerabilis magnitudo est; ut ad capienda et praestanda ea, sola gratia divinae inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id, quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur. Itaque velut solatium erit disputare super eo, quod frui non datur, vice languentium, qui cum vacent a sanitate, de bonis ejus tacere non norunt. Ita miserrimus ego, semper aeger caloribus impatientiae, quam non obtineo patientiae sanitatem, et suspirem, et invocem, et perorem necesse est, cum recordor, et in meae imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, et dominicae disciplinae sanitatem, non facile cuiquam, nisi patientia assideat, provenire. Ita proposita[1]) Dei rebus est, ut nullum praeceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus a patientia possit. Bonum ejus, etiam qui caeci vivunt, summae virtutis appellatione honorant. Philosophi quidem, qui alicujus sapientiae animalia deputantur, tantum illi subsignant, ut cum inter sese variis sectarum libidinibus et sententiarum aemu-

[1]) *Ita proposita* i. e. ita necessaria est ad res Dei peragendas.

lationibus discordent, solius tamen patientiae in commune memores, huic uni studiorum suorum commiserint pacem: in eam conspirant, in eam foederantur, illam in affectatione virtutis unanimiter student; omnem sapientiae ostentationem de patientia praeferunt. Grande testimonium ejus est, cum etiam vanas seculi disciplinas ad laudem et gloriam promovet. Aut numquid potius injuria, cum divina res in secularibus artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox sapientiae suae cum seculo destructae ac dedecoratae pudebit.

CAPUT II.

Deus ipse patientiae est exemplum.

Nobis exercendae patientiae auctoritatem non affectatio humana caninae aequanimitatis stupore formata, sed vivae ac coelestis disciplinae divina dispositio delegat[1]), Deum ipsum ostendens patientiae exemplum: jam primum, qui rorem lucis hujus super justos et injustos aequaliter spargit; qui temporum

[1]) Sensus horum verborum est: Coelestis disciplina nos ad colendam patientiam inducit, non philosophorum institutio quorum patientia belluino proprior est stupori, quam verae virtuti. Respicit autem inprimis *cynicos* seu Diogenis sectatores.

officia, elementorum servitia, totius geniturae tributa dignis simul et indignis patitur simul occurrere, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium et opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius [1]) persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, ut sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tamdiu nesciunt [2]).

CAPUT III.

Insigne patientiae exemplum quod Christus praebuit nobis.

Et haec quidem divinae patientiae species, quasi de longinquo, fors ut de supernis aestimetur. Quid illa autem quae inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est? Nasci se Deus in utero patitur matris et exspectat, natus adolescere sustinet, et adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, et a servo

---

[1]) Familia ipsius, i. e. Dei, sunt Christiani, qui Deum *Patrem* appellant.

[2]) Adeo patiens est Dominus, ut propter patientiam suam honoris detrimentum patiatur. Plures enim ideo eum negant, quod ejus iram tamdiu non experiantur.

suo tinguitur, et tentatoris congressus solis verbis repellit. Cum de domino fit magister, docens hominem evadere ad salutem, scilicet veniam offensae patientiae eruditus [1]), *non contendit, non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit.* Nec enim mentitus fuerat Propheta, imo ipsius Dei contestatio, Spiritum suum in Filio cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi adhaerere non suscepit: nullius mensam tectumve despexit: aquam ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltem civitati, quae eum recipere noluerat iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso oppido coelestes ignes repraesentari voluissent. Ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotavit [2]). Cum vero

---

[1]) Obscurus est hic locus, hinc etiam magna illius in variis codicibus discrepantia. Sensus esse videtur: Cum exinaniens se de domino gloriae fit magister hominum docens eos viam salutis, utpote eruditus seu assuetus veniam dare, licet ejus patientia gravissime offenderetur, „non contendit, non reclamavit etc.

[2]) Denotavit i. e. manifestavit, notum fecit.

traditur, cum adducitur, ut pecus ad victimam; sic enim *non magis aperit os, quam agnus sub tondentis potestate.* Ille cui legiones angelorum, si voluisset, uno dicto de coelis affuissent, ne unius quidem discentis gladium ultorem probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii opera maledixit in posterum, et sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiae matrem. Taceo quod figitur: in hoc enim venerat. Numquid tamen subeundae morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiae discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, foedis vestitur, foedioribus coronatur. Mira aequanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime, Pharisaei, Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos vero ratio et structio[1]), satis aperte non ser-

---

[1]) Secundum illud Pauli (1 Cor. 1, 23 s.) dicentis, Christum crucifixum gentibus esse stultitiam, credentibus vero Dei virtutem et Dei sapientiam.

monibus modo in praecipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam, effectum et praestantiam ingenitae cujusdam proprietatis.

CAPUT IV.

Nos Domini servos ejus exemplum sectari oportet.

Igitur si probos quosque servos et bonae mentis, pro ingenio dominico conversari videmus (siquidem artificium promerendi, obsequium est; obsequii vero disciplina, morigera subjectio est), quanto magis nos secundum Dominum moratos inveniri oportet! servos scilicet Dei vivi, cujus judicium in suos, non in compede aut pileo vertitur[1]), sed in aeternitate aut poenae aut salutis. Cui severitati declinandae, vel liberalitati invitandae, tanta obsequii diligentia opus est, quanta sunt ipsa quae aut severitas comminatur, aut liberalitas pollicetur. Et tamen nos non de hominibus modo servitute subnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obse-

[1]) *Compedes* servitutis notae erant, ut *pileus* libertatis. Hinc sensus est, judicium Domini in suos non versari circa servitutem libertatemque temporalem, sed ab eo pendere poenam vel gloriam aeternam.

quii, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes usibus nostris eas a Domino provisas traditasque. Meliora ergo nobis erunt in obsequii disciplina, quae nobis Deus subdit? Agnoscunt denique quae obediunt: nos cui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare dubitamus? At quam injustum est, quam etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris de temetipso non rependere? Nec pluribus de obsequii exhibitione debita a nobis Domino Deo; satis enim agnitio Dei quid sibi incumbat intelligit. Ne tamen ut extraneum de obsequio videamur interjecisse, ipsum quoque obsequium de patientia trahitur. Nunquam impatiens obsequitur, aut patiens quis obluctatur[1]). Quam ergo Dominus omnium bonorum et demonstrator et acceptator Deus in semetipso circumtulit, quis de bono ejus late retractet? cui item dubium sit omne bonum, quia ad Deum pertineat, pertinentibus ad Deum tota mente

[1]) Sensus est: Ne quis putet, nos disserentes de obsequio a proposito nostro aberrasse; obsequium enim arctissime cum patientia jungitur, cum hujus sit fructus; nam quis impatiens obsequitur, aut patiens quis obluctatur?

sectandum? Per quae in expedito et quasi in praescriptionis compendio[1]) et commendatio et exhortatio de patientia constituta est.

CAPUT V.

Natales impatientiae ejusque incrementa.

Verumtamen procedere disputationem de necessariis fidei non est otiosum, quia nec

---

[1]) *In praescriptionis compendio.* Praescribo in jure triplicem habet significationem, et omnes Tertulliano convenire possunt. *Prima*, praescribere est praefinire, ut praescriptum a testatore tempus i. e. praefinitum. Ergo cum Deus tanti fecerit hanc virtutem, habes compendiose praescriptum praefinitumque, quid sentire de illa debeas. *Altera* significatio est, qua quis post rei alienae usucapionem contra omnem litis intentationem sibi hoc unico verbo consulit; itaque qui *praescripsit*, elidit adimitque omnem actionem contra se, et omnem litem quamcunque internecat. Quid ergo hoc verbo compendiosius? Igitur habes compendium, quo impugnantes patientiam elidas, si tantum dicas: *Domini est virtus*; quo verbo omnem actionem adimas, non aliter atque illi qui praescripsere. *Tertia* et propria est, nam praescriptio in jure est exceptio, et praescribere est excipere, aut exceptionem opponere et actorem excludere; hoc sensu qui se judicio defendit, et crimen in adversarium transfert, cum illud refellit, dicitur adversario suo praescribere. Ergo habes compendium, quo praescribas tuis adversariis. Quod hoc compendium? Virtus

infructuosum. Loquacitas in aedificatione nulla turpis, si quando turpis. Itaque si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quoque boni recensere. Quid enim sectandum sit magis illuminabis, si quod vitandum sit proinde digesseris. Consideremus igitur de impatientia, an, sicut patientia in Deo, ita adversaria ejus in adversario nostro nata atque comperta sit: ut ex isto appareat, quam principaliter fidei adversetur. Nam quod ab aemulo Dei conceptum est, utique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum quae et auctorum. Porro cum Deus optimus, diabolus e contrario pessimus, ipsa sui diversitate testantur, neutrum alteri facere, ut nobis non magis a malo aliquid boni, quam a bono aliquid mali editum videri possit. Igitur natales impatientiae in ipso diabolo deprehendo, jam tunc cum Dominum Deum universa opera, quae fecisset, imagini suae, id est, homini subjecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec invidisset homini, si non doluisset. Adeo decepit eum, quia inviderat: inviderat autem, quia doluerat: doluerat,

---

est Dei, eam Deus magni habet, Deus in semetipso circumtulit. Ita in h. l. La Cerda.

quia patienter utique non tulerat. Quid primum fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quaerere: palam cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam; deinde inter se conspirasse, et individuas in uno patris sinu adolevisse. At enim quam primus senserat, per quam delinquere intraverat, de suo experimento quid ad peccandum adjutaret instructus, eamdem impingendo in crimen homini advocavit[1]): conventa statim illi mulier, non temere dixerim, per colloquium ipsum ejus afflata est spiritu impatientia infecto; usque adeo nunquam omnino peccasset, si in divino interdicto patientiam perservasset. Quid quod non sustinuit sola conventa, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est; ac traducem illum ejus quod a malo hauserat, facit. Perit igitur et alius homo per impatientiam alterius: perit mox et ipse per impatientiam suam utrobique commissam,

---

[1]) Favet hic Tertullianus illorum sententiae, qui diabolum invidia et livore adversus homines lapsum esse opinantur. Hinc ait daemonem, cum vellet hominem in crimen impingere, impatientiam praecepti i. e. inobedientiam suasisse, quod expertus noverit, quam ad peccandum impatientia efficax sit.

et circa Dei praemonitionem, et circa diaboli circumscriptionem[1]): illam servare, hanc refutare non sustinens. Hinc prima judicii, unde delicti origo: hinc Deus irasci exorsus, unde offendere homo inductus. Inde in Deo prima patientia, unde indignatio prima[2]). Qui tunc maledictione sola contentus, ab animadversionis impetu in diabolo temperavit. Aut quod crimen ante istud impatientiae admissum homini imputatur? Innocens erat, et Deo de proximo amicus, et paradisi colonus. At ubi semel succidit impatientiae, desivit Deo sapere, desivit coelestia sustinere posse. Exinde homo terrae datus, et ab oculis Dei ejectus, facile usurpari ab impatientia coepit in omne, quod Deum offenderet[3]). Nam statim illa, semine diaboli concepta,

---

[1]) *Circumscriptionem* i. e. deceptionem, qua diabolus Evam circumvenerat, et quam Adam refutare debuisset.

[2]) *Inde in Deo* etc. Cum primo peccato, quo homo Deum offendit ejusque in se movit indignationem, simul incepit Dei patientia; nam lenitate usus humanum genus peccans in multa patientia sustinuit Deus, imo illud reparare decrevit.

[3]) *Facile usurpari* etc. Usurpant proprie, ad quos jus possessionis spectat. Sic impatientia veluti jam possidens hominem facile eum ad quidvis traxit, quod Deum offenderet. Ita Rhenanus.

malitiae fecunditate iram filium procreavit: editum suis artibus erudiit. Quod enim ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit et filium ab homicidio incipere. Frustra istud impatientiae adscripserim, si Caïn ille primus homicida, et primus fratricida, oblationes suas a Domino recusatas aequanimiter nec impatienter tulit; si iratus fratri suo non est, si neminem denique interemit. Cum ergo nec occidere potuerit nisi iratus, nec irasci nisi impatiens demonstrat, quod per iram gessit, ad eam referendum, a qua ira suggesta est. Et haec quidem impatientiae tunc infantis quodammodo incunabula. Ceterum quanta mox incrementa! nec mirum. Nam si prima deliquit, consequens est ut quia prima, idcirco et sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte varias criminum venas. De homicidio quidem dictum est. Sed ira editum a primordio, etiam quascunque postea causas sibi invenit, ad impatientiam ut ad originem sui confert. Sive enim quis inimicitiis, sive praedae gratia id scelus conficit, prius est ut aut odii aut avaritiae fiat impatiens. Quidquid compellit, sine impatientia sui non est, ut perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subiit? Quod et si pretio in feminis

cogitur venditio illa pudicitiae, utique impatientia contemnendi lucri ordinatur. Haec ut principalia penes Dominum delicta. Nam ut compendio dictum sit, omne peccatum impatientiae adscribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiae, et improbus probitatis, et impius pietatis, et inquietus quietis. Ut malus unusquisque fiat, bonus perseverare non poterit. Talis igitur excetra delictorum[1]): cur non Dominum offendat improbatorem malorum? Annon ipsum quoque Israël per impatientiam semper in Deum deliquisse manifestum est? exinde cum oblitus brachii coelestis, quo Aegyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi deos duces postulat; cum in idolum auri sui collationes defundit: tam necessarias enim Moysis cum Domino congredientis impatienter exceperat moras. Post mannae escatilem pluviam, post petrae aquatilem sequelam desperant de Domino, tridui sitim non sustinendo: nam haec quoque illis impatientia a Domino exprobratur.

---

[1]) *Excetra delictorum.* Confert hic impatientiam cum hydra lernaea multa capita habente, quam Hercules vicisse narratur. Vocabatur ea *excetra*, ut nonnulli putant, quod pro quolibet capite decusso mox duo in illius locum *excrescerent.*

Ac ne singula pervagemur, nunquam non per impatientiam delinquendo perierunt. Quomodo autem manus prophetis intulerunt, nisi per impatientiam audiendi? Domino autem ipsi, *per impatientiam etiam videndi*[1]) (Sap. 2, 15). Quod si patientiam inissent, liberarentur.

CAPUT VI.

Impatientia in lege fidei plane abrogata.

Ipsa adeo est, quae fidem et subsequitur et antecedit. Denique *Abraham Deo credidit, et justitiae deputatus ab illo est* (Gen. 15, 7): sed fidem ejus patientia probavit, cum filium immolare jussus est; ac fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. Ceterum Deus, quem justitiae deputasset, sciebat. Tam grave praeceptum, quod nec Domino perfici placebat, patienter et audivit, et si Deus voluisset, implesset. Merito ergo benedictus, quia et fidelis: merito fidelis, quia et patiens. Ita fides patientia illuminata, cum in nationes seminaretur

---

[1]) *Per impatientiam videndi.* Christi scil. praesentiam ne ferre quidem judaei poterant prae invidia, adeo invisus ipsis erat.

per semen Abrahae, quod est Christus, et gratiam legi superduceret, ampliandae adimplendaeque legi adjutricem suam patientiam praefecit, quod ea sola ad justitiae doctrinam retro defuisset. Nam olim *et oculum pro oculo, et dentem pro dente* (Exod. 21, 24) repetebant, et malum malo fenerabant: nondum enim patientia in terris, quia nec fides: scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat, absente Domino patientiae et magistro[1]): qui postquam supervenit, et gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo quidem lacessere, nec *Fatue* quidem dicere sine judicii periculo licet (Matth. 5, 22). Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguae venenum: plus lex, quam amisit, invenit, dicente Christo: *Diligite inimicos vestros, et maledicentibus benedicite, et orate pro persecutoribus vestris, ut filii*

---

[1]) Sensus est: Christus Dominus cum legem ampliavit perfecitque patientiam, quae in veteri lege non adeo postulabatur, praefecit i. e. inprimis commendavit inculcavitque abrogata etiam lege talionis, qua nonnunquam impatientia permittebatur, seu venia dabatur exigendi oculum pro oculo, dentem pro dente (Matth. 5, 38); quod excusari potest, cum tunc nondum advenisset magister et exemplar patientiae.

sitis Patris vestri coelestis (Id. 6, 24). Vides quem nobis patrem patientia acquirat? Hoc principali praecepto universa patientiae disciplina succincta est, quando ne digne quidem malefacere concessum est[1]).

CAPUT VII.

Patientia necessaria est, ut secundum doctrinam Christi circa fortunas affecti simus.

Jam vero percurrentibus nobis causas impatientiae, cetera quoque praecepta suis locis respondebunt. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni pene in loco de contemnendo seculo scripturis dominicis commonetur: nec major ad pecuniae contemptum exhortatio subjacet, quam quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur: semper pauperes justificat, divites praedamnat. Ita detrimentum patientiae fastidium opulentiae praeministravit[2]), demonstrans

---

[1]) *Quando ne digne quidem* etc. i. e. jam nec illis, qui ceteroquin vindicta digni essent, malum licet rependere.

[2]) Obscura sententia, quae tamen sequenti membro explanari videtur. Dominus scil. per *abjectionem divitiarum laesuras* seu damnum illis illatum parvipendendum esse demonstravit, et ita fastidio opulen-

per abjectionem divitiarum, laesuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minime opus est, quia nec Dominus appetivit, detruncatum vel etiam ademptum non aegre sustinere debemus. *Cupiditatem omnium malorum radicem* (1. Tim. 6, 10) Spiritus Domini per Apostolum pronunciavit. Eam non in concupiscentia alieni tantum constitutam interpretemur: nam et quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, de non nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quaerimus, cum alienum amissum aegre sustinemus. Qui damni impatientia concitatur, terrena coelestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem a Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit. Libenter igitur terrena amittamus, coelestia tueamur. Totum licet seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Jam qui minutum sibi aliquid aut furto aut vi aut etiam ignavia non con-

---

tiae, cum eligeret paupertatem, patientiae praeministravit, i. e. facile, leve reddidit detrimentum rei familiaris forte subeundum.

stanter sustinere constituit, nescio an facile vel ex animo ipse rei suae manum inferre posset in causa eleemosynae. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum in corpore suo ducit? Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi et communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, *qui auferenti tunicam etiam pallium offerre possit* (Matth. 5, 40)? Quomodo *amicos de mammona fabricabimus nobis* (Luc. 16, 9), si eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito. Quid hic invenimus, ubi habemus amittere [1])? Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortasse animae anteponant. Nam et faciunt, cum lucri cupiditatibus quaestuosa pericula mercimoniorum in mari exercent; cum pecuniae causa etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant; cum denique ludo et castris sese locant, cum per viam in mores bestiarum latrocinantur. Nos

---

[1]) Respicit hic verba Christi: *Qui invenerit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (Matth. 10, 39).

vero secundum diversitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit, seu sponte in largiendo seu patienter in amittendo.

CAPUT VIII.

Patientiae utilitas.

Ipsam animam ipsumque corpus in seculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriae patientiam subimus: minorum deliberatione laedemur? Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus praeparata in frivolis excidat. Si manu quis tentaverit provocare, praesto est dominica monela: *Verberanti te*, inquit, *in faciem, etiam alteram genam obverte* (Luc. 6, 29). Fatigetur improbitas patientia tua. Quivis ictus ille sit dolore et contumelia constrictus, gravius a Domino vapulat. Plus improbum illum caedis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cujus gratia sustines. Si linguae amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum: *Cum vos maledixerint, gaudete* (Matth. 5, 12). Dominus ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur dominum servi consequamur, et maledicamur pa-

tienter, ut benedicti esse possimus. Si parum aequanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. Cum ergo percussero maledicto, quomodo secutus inveniar doctrinam Domini, qua traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum, quae ex ore promuntur, hominem communicari (Marc. 7, 15)? item: Manere nos omnis vani et supervacui dicti reatum (Matth. 12, 36)? Sequitur ergo, ut a quo nos Dominus arcet, idem ab alio aequanimiter pati admoneat. Hic jam de patientiae voluptate. Nam omnis injuria, seu lingua seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimae duritiae libratum et obtusum [1]). Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu saeviet. Nempe idcirco quis te laedit, ut doleas; quia fructus laedentis in dolore laesi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat ne-

---

[1]) *Cum patientiam offenderit etc.* i. e. omnis injuria, cum patientiam offenderit i. e. si patienti infertur, irrita erit, imo repercutietur sicut telum durissimae injectum petrae.

cesse est amissione fructus sui: tunc tu non modo illaesus abis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper adversarii tui et frustratione oblectatus et dolore defensus. Haec est patientiae utilitas et voluptas.

CAPUT IX.

Patientia servanda in amissione nostrorum.

Ne illa quidem impatientiae species excusatur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio. Proponendus est enim respectus denunciationis Apostoli, qui ait: *Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut nationes, quae spe carent* (1. Thes. 4, 13). Et merito. Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille et obiit et resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat et impatientia doloris. Cur ergo doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum? Profectio est quam putas mortem. Non est lugendus, qui antecedit, sed plane desiderandus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris? Ceterum impatientia in

hujusmodi et spei nostrae male ominatur et fidem praevaricatur. Et Christum laedimus, cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non aequanimiter accipimus. *Cupio*, inquit Apostolus, *recipi jam et esse cum Domino* (Phil. 1, 23)! Quanto melius ostendit votum Christianorum! ergo votum, si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus[1]).

CAPUT X.

Impatientiae stimulus ultionis est libido.

Est et alius summus impatientiae stimulus, ultionis libido, negotium curans aut gloriae aut malitiae[2]). Sed et gloria utique vana et malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maxime, cum alterius malitia provocata, superiorem se in exsequenda ultione constituit, et remunerans nequam

---

[1]) *Ergo votum* etc. Sensus est: Ergo si impatienter ferimus quorundam mortem, qui votum Christianorum, *recipi* nimirum *et esse cum Christo* (Philip. 1, 23) jam consecuti sunt, hoc ipso ostendimus, nolle nos consequi hoc votum, seu recipi et esse cum Christo.

[2]) *Negotium curans* i. e. affectio inordinata vel ad propriam gloriam tuendam intenta vel ad inferendum alteri damnum.

duplicat quod semel factum est. Ultio penes errorem solatium videtur doloris; penes veritatem certe. redarguitur malignitatis [1]). Quid enim refert inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior? Tamen uterque laesi hominis Domino reus est: qui omne nequam et prohibet et damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Absolute itaque praecipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Quomodo id observabimus, si fastiditi ante in fastidio ultionis non erimus [2])? Quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris assumentibus sibi de conservis ultionem graviter offendimur: eosque qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus

---

[1]) *Ultio penes errorem* i. e. penes idolorum cultores solatium videtur doloris, penes *veritatem* i. e. Christianos damnatur, redarguitur.

[2]) *Si fastiditi* etc. Sensus est: Quomodo observabimus praeceptum apostolicum, malum non esse malo rependendum (Rom. 12, 17), si *fastiditi* i. e. injuria affecti, non antea in fastidio ultionis erimus i. e. ultionem abominemur?

dominici honoris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem quam ipsi sibi praesumpsissent, satisfactionem facimus: id nobis in Domino tam justo ad aestimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens: *Vindictam mihi, et ego vindicabo* (Deut. 32, 35): id est, patientiam mihi, et ego patientiam remunerabo. Cum enim dicit: *Nolite judicare, ne judicemini* (Matth. 7, 1), nonne patientiam flagitat? Quis enim non judicabit alium, nisi qui patiens erit non defendendi? Quis idcirco judicat ut ignoscat? Ac si ignoscet, tamen judicantis impatientiam cavit, et honorem unici judicis, id est Dei, abstulit [1]). Quantos vero casus hujusmodi impatientia incursare consuevit! Quotiens poenituit defensionem! quotiens instantia ejus deterior

---

[1]) Hujus loci hic est sensus: Christus praecipiens, *nolite judicare*, patientiam exigit; solus enim patiens non judicat inimicum: nam qui judicat impatiens est injuriae, ultionem cogitat, cum judicium ad ultionem inferendam non ad ignoscendum instituatur. Quod si nihilominus ignoscit, adhibuit tamen impatientiam judicantis seu persequentis judicio injuriam, et ita abstulit honorem unici judicis i. e. Dei. „Cavere impatientiam, inquit Rigault, est cavere per impatientiam, prospicere sibi ultionem per impatientiam ultionis.“

facta est causis suis! Quoniam nihil impatientia susceptum sine impetu transigi novit; nihil impetu actum aut non offendit aut corruit aut praeceps abiit. Jam si levius defendaris, insanies; si uberius, oneraberis. Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Quod si patientiae incubabo, non dolebo: si non dolebo, ulcisci non desiderabo.

CAPUT XI.

Multiplex patientiae exercendae occasio. Ejus praemium.

Post has principales impatientiae materias, ut potuimus regestas, quid inter ceteras evagemur, quae domi, quae foris? Lata atque diffusa est operatio mali, multiplicia spiritus incitamenta jaculantis, et modo parvula, modo maxima. Sed parvula de sua mediocritate contemnas, maximis pro sua exsuperantia cedas. Ubi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiae. At ubi major injuria, ibi necessarior injuriae medela, patientia. Certemus igitur quae a malo infliguntur sustinere, ut hostis studium aemulatio nostrae aequanimitatis eludat. Si vero quaedam ipsi in nos aut imprudentia aut sponte etiam su-

perducimus, aeque patienter obeamus, quae nobis imputamus. Quod si a Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quam Domino praebeamus? Quin insuper gratulari et gaudere nos docet dignatione divinae castigationis. *Ego*, inquit, *quos diligo, castigo* (Apoc. 3, 19). O servum illum beatum, cujus emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci! quem admonendi dissimulatione non decipit! Undique igitur astricti sumus officio patientiae administrandae. Quaqua ex parte aut erroribus nostris aut mali insidiis aut admonitionibus Domini intervenit usus ejus officii, magna merces, felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus nisi patientes nuncupavit, dicendo: *Beati pauperes spiritu, illorum est enim regnum coelorum* (Matth. 5, 3). Nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis. Quis enim humilis nisi patiens? quia nemo subjicere sese potest, sine prima patientia subjectionis ipsius. *Beati*, inquit, *flentes atque lugentes*. Quis talia sine patientia tolerat? itaque talibus et advocatio et risus promittitur. Beati mites: hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri. Item cum pacificos eodem titulo felicitatis notat et filios Dei nuncupat, numquid impatientes pacis affines?

Stultus hoc senserit. Cum vero: *Gaudete et exsultate,* dicit, *quotiens vos maledicent et persequentur; merces enim vestra plurima in coelo*, id utique non exsultationis impatientiae pollicetur: quia nemo in adversis exsultabit, nisi ante ea contempserit; nemo contemnet, nisi patientiam gesserit.

CAPUT XII.

Patientia est mater virtutum.

Quod ad pacis gratissimae Deo attinet disciplinam, quis omnino impatientiae natus vel semel ignoscet fratri suo? non dicam *septies*, *sed et septuagies septies* (Ib. 18, 22)? Quis judicium cum adversario suo dirigens, negotium convenientia solvet, nisi prius animi dolorem, duritiam, amaritudinem, venena scilicet impatientiae amputarit? Quomodo remittes et remittetur tibi, si tenax injuriae per absentiam patientiae fueris? Nemo convulsus animum in fratrem suum, *munus apud altare perficiet, nisi prius reconciliando fratri* (Ib. 5, 23) reversus ad patientiam fuerit. *Sol super iram nostram si occiderit, periclitamur* (Ephes. 4, 26). Non licet nobis una die sine patientia manere. At enim cum omnem speciem salutaris

disciplinae gubernet, quid mirum quod etiam poenitentiae ministrat, solitae lapsis subvenire? cum, disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa qua licet seu viro seu feminae ad viduitatis perseverantiam sustineri, haec exspectat, haec exoptat, haec exorat poenitentiam quandoque inituris salutem? Quantum boni utrique confert? alterum non adulterum facit, alterum emendat[1]). Sic et illis dominicarum similitudinum exemplis de patientia sanctis adest. Erroneam ovem patientia pastoris requirit et invenit. Nam impatientia unam facile contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, et humeris insuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris et recipit et vestit et pascit et apud impatientiam irati fratris excusat. Salvus est igitur qui perierat, quia poenitentiam iniit. Poenitentia non perit, quia pa-

---

[1]) Docet hic Tertullianus quam utilis sit patientia, cum disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa qua licet i. e. ex fornicationis causa (Matth. 19, 9), patientia conjugem innocentem in viduitate conservet, ne ad alias convolet nuptias; haec exspectet, donec reus poenitentiam agat. Quantum proinde boni utrique confert? alterum non adulterum facit, alterum emendat.

tientiam invenit. Nam dilectio summum fidei sacramentum, christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, cujus nisi patientiae disciplinis eruditur? *Dilectio*, inquit, *magnanimis est:* ita patientiam sumit. *Benefica est:* malum patientia non facit. *Non aemulatur:* id quidem patientiae proprium est. *Nec protervum sapit:* modestiam de patientia traxit. *Non inflatur, non proterit:* non enim ad patientiam pertinet. *Nec sua requirit*, si offert sua, dum alteri prosit. *Nec incitatur:* ceterum quid impatientiae reliquisset? Ideo, inquit, *Dilectio omnia sustinet, omnia tolerat:* utique quia patiens. *Merito ergo nunquam excidet: nam cetera evacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguae, scientiae, prophetiae: permanent fides, spes, dilectio:* fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia exspectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.

CAPUT XIII.

Patientiae fructus insignes.

Usque huc de patientia tandem simplici et uniformi et tantum in animo constituta;

cum eadem etiam in corpore demerendo Domino multipliciter allaboret: utpote quae ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, si quidem rector animus facile communicat spiritus invecta cum habitaculo suo[1]). Quae igitur negotiatio patientiae in corpore? Inprimis afflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cum sordes, cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquae potu, cum jejunia conjungit, cum cineri et sacco inolescit[2]). Haec patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat; haec aures Christi Dei aperit, severitatem dispergit, clementiam elicit. Sic ille rex Babylonius, offenso Domino, cum squalore et paedore septenni ab humana forma exsulasset, immolata patientia corporis sui et regnum recuperavit et, quod optabilius est homini, satis Deo fecit. Jam si altiores et feliciores gradus corporalis patientiae digeramus, eadem sanctitati quoque procurat continentiam carnis: haec et viduam tenet, et virginem

---

[1]) *Spiritus invecta* i. e. quae Spiritus invehit in animum. Sensus proinde est, ex animo facile in corpus derivari, redundare illius virtutes, dotes.

[2]) *Inolescit* i. e. prae assuetudine poenitentiam familiarem sibi reddit ac velut naturalem.

assignat [1]), et voluntarium spadonem ad regna coeli levat: quod de virtute animi venit, in carne perficitur, carnis patientia. In persecutionibus denique praeliatur. Si fuga urgeat, adversus incommoda fugae caro militat. Si et carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo[2]), et in illa paupertate lucis, et in illa penuria mundi. Cum vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundae intinctionis [3]), ad ipsum divinae sedis ascensum, nulla plus illic quam patientia corporis. Si *spiritus promptus, sed caro* sine patientia *infirma* (Matth. 26, 41), ubi salus spiritus et carnis ipsius? At cum hoc Dominus de carne dicit infirmam pronuncians, quid ei firmandae opus sit ostendit, patientia scilicet adversus omnem subvertendae fidei vel puniendae paraturam; ut verbera, ut ignem, ut crucem, bestias, gladium constantissime toleret, quae prophetae, quae apostoli sustinendo vicerunt.

---

[1]) *Virginem assignat.* Hoc clarius S. Cyprianus (*de bono patientiae* n. 20) exprimit dicens: „Tuetur (patientia) in virginibus beatam integritatem.“

[2]) *In solo* h. e. in nuda humo.

[3]) *Secunda intinctio* martyrium est. Intinctio enim Tertulliano idem est ac baptismus; martyrium autem alter baptismus, baptismus sanguinis dicitur.

CAPUT XIV.

Patientiae exempla et praemia.

His patientiae viribus secatur Esaias, et de Domino non tacet; lapidatur Stephanus, et veniam hostibus suis postulat. O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiae speciem adversus omnem diaboli vim expunxit! quem non abacti greges, non illae in pecore divitiae, non filii uno ruinae impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus a patientia et fide Domino debita exclusit; quem diabolus totis viribus frustra cecidit! Neque enim a respectu Dei tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum et testimonium tam spiritu quam carne, tam animo quam corpore patientiae perpetrandae: ut neque damnis secularium, nec amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus diabolo exstruxit? Quale vexillum de inimico gloriae suae extulit, cum ille homo ad omnem acervum nunciorum nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias; cum uxorem jam malis delassatam et prava remedia suadentem exsecraretur? Quid? ridebat Deus: quid? dissecabatur malus, cum Job immundam ulceris

sui redundantiam magna aequanimitate destringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus et pastus reformosae carnis ludendo revocaret. Itaque operarius ille victoriae Dei, retusis omnibus jaculis tentationum lorica clypeoque patientiae, et integritatem mox corporis a Deo recuperavit et, quae amiserat, conduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur[1]). Sed maluit in illo die reddi sibi. Tantum gaudii, securus de Domino, distulit: sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret.

CAPUT XV.

Patientiae uberes fructus et indicia.

Adeo satis idoneus patientiae sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiae licet, ut Deum habeat debitorem? Nec immerito. Omnia enim placita ejus tuetur: omnibus mandatis ejus

---

[1]) *Si filios quoque*, qui ruina domus oppressi periere, *restitui voluisset*, *pater iterum* etiam ab illis *vocaretur*, nam ab aliis qui ei postea nati sunt pater fuit salutatus.

intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, poenitentiam exspectat, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat: pauperem consolatur, divitem temperat; infirmum non extendit, valentem non consumit; fidelem delectat, gentilem invitat; servum domino, dominum Deo commendat; feminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni aetate formosa est. Age jam, si et effigiem habitumque ejus comprehendamus. Vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla moeroris aut irae rugositate contracta: remissa aeque in laetum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis et innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum et minax risus. Ceterum amictus circum pectora candidus et corpori impressus; ut qui nec inflatur nec inquinatur. Sedet enim in throno spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est tenerae serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Helias (3 Reg. 19. 11 ss.).

Nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet. Cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. Si non eam cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper? Imo nescio an diutius perseveret. Sine sua comite ac ministra, omni loco ac tempore angatur necesse est. Quodcumque inimicus ejus inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi [1]).

CAPUT XVI.

Diabolus suos patientiam propriam docet.

Haec patientiae ratio, haec disciplina, haec opera coelestis et verae, scilicet chri-

[1]) *Cum ergo spiritus Dei descendit* etc. Sensus est secundum Rigault: „Spiritu Dei in Christianum quempiam descendente, una etiam descendit patientia, comes individua. Admittendus igitur cum sua comite. Quam si non admiserimus cum spiritu, credimusne fore ut spiritui semper in nobis morari libeat? Imo, nescio an resideat aliquantisper. Etenim sine sua comite ac ministra ubique semper anxius ac perplexus laborabit: quodcunque diabolus inflixerit, solus sustinere non poterit, carens satellite suo, patientia scilicet, fortissimo sustinendi instrumento.“ Evidens autem est, nomine spiritus intelligenda esse charismata S. Spiritus seu ille spiritus bonus, qui est effectus multiplicis operationis Spiritus sancti in cordibus justorum.

stianae, non ut illa patientia gentium terrae, falsa, probrosa. Nam ut in isto quoque Domino diabolus aemularetur, quasi plane ex pari (nisi quod ipsa diversitas mali et boni aequaliter magnitudinis par est) docuit et suos patientiam propriam: illam dico, quae maritos dote venales aut lenociniis negotiantes uxorum potestatibus subjicit; quae aucupandis orbitatibus omnem coacti obsequii laborem mentitis affectionibus tolerat; quae ventris operarios contumeliosis patrociniis subjectione libertatis gulae addicit. Talia nationes patientiae studia noverunt, et tanti boni nomen foedis operationibus occupant: patientes rivalium et divitum et invitatorum, impatientes solius Dei vivunt. Sed viderit sua et sui praesidis patientia, quam subter ignis exspectat. Ceterum nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis et spiritus credimus.

QUINTI SEPTIMII FLORENTII TERTULLIANI

EXHORTATIO AD MARTYRES [1]).

CAPUT I.

Modeste hortatur martyres ut sibi ab insidiis diaboli caveant.

Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quae vobis et domina mater Eccle-

[1]) Exhortatio haec inter Tertulliani opuscula, quae pulchritudine et utilitate praestant, unanimi eruditorum suffragio refertur. „Nihil hoc brevi sermone, inquit praeeunte Dupin (*Biblioth. des Auteurs etc.* T. 1.) Fessler (*Institut. Patrol.* V. 1. § 81), vehementius aut movendis animis aptius dici potest.“ Scripsit vero opusculum hoc adhuc catholicus quinta persecutione jamjam imminente sub Severo circa a. 197, in eoque martyres adhortatur ad constantiam in fide et alacritatem in subeundo carceris squalore judicumque decretis. Eos vero potissimum ad pacem invitat, quam qui non habebant in Ecclesia, a martyribus petebant.

sia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, et spiritum esurire non prodest. Imo si quod infirmum est curatur, aeque quod infirmius est negligi non debet. Nec tantus ego sum, ut vos alloquar. Verumtamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et praepositi sui, sed etiam idiotae, et supervacui quique adhortantur de longinquo, ut saepe de ipso populo dictata suggesta profuerint. In primis ergo, benedicti, *nolite contristare Spiritum sanctum* (Ephes. 4, 30), qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam, ut illic vobiscum perseveret: ita vos inde perducat ad Dominum. Domus quidem diaboli est et carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos ideo in carcerem pervenistis, ut illum etiam in domo sua conculcetis; jam enim foris congressi conculcaveratis. Non ergo dicat: In meo sunt, tentabo illos vilibus scidiis [1]), affectionibus, aut

[1]) *Tentabo illos vilibus scidiis* i. e. nugis et quisquiliis, puta momentaneae cujusdam vexationis

inter se dissensionibus. Fugiat conspectum vestrum, et in ima sua delitescat, contractus et torpens, tanquam coluber excantatus aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in suo regno, ut vos committat: sed inveniat munitos, et concordia armatos: quia pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt[1]). Et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.

CAPUT II.

Mundus est carcer; Christianis vero carcer non est carcer.

Cetera aeque animi impedimenta usque ad limen carceris deduxerint vos, quousque

formidine, aut producendae in aliquot annos vitae mortalis desiderio: denique committam ipsos et exagitabo dissensionibus. Haec sunt parabilia et obviam atque ad manum satanae tela, quasi de vilibus scopis et scidiis arborum cremialibus. Scidiae sive scidia sunt vilia caesorum arborum segmina. Rigault.

[1]) *Quam pacem* etc. Respicit hic consuetudinem, quae tunc in Ecclesia vigebat. Solebant enim qui propter graviora crimina diuturnam subire debebant poenitentiam, martyres adire, ut eorum intercessione adjuti citius ab Ecclesia pacem i. e. reconciliationem impetrarent.

et parentes vestri. Exinde segregati estis ab ipso mundo, quanto magis a seculo rebusque ejus? Nec hoc vos consternet, quod segregati estis a mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere quam in carcerem introisse intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quae hominum praecordia excaecant. Graviores catenas induit mundus, quae ipsas animas hominum constringunt. Pejores immunditias exspirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet universum hominum genus. Judicia denique non proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, benedicti, de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis. Judex exspectatur, sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi. Contristetur illic, qui fructum seculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem seculo renunciavit, in carcere autem etiam carceri[1]). Nihil interest ubi sitis in seculo, qui extra se-

[1]) *In carcere carceri* i. e. carcer Christiano non est carcer, nec illius incommoda sentit, sed potius inde lucra captat. Plus enim in carcere spiritus acquirit quam caro amittit, ut postea ostendit.

culum estis. Et si aliqua amisistis vitae gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris. Nihil adhuc dico de praemio, ad quod Deus martyres invitat. Ipsam interim conversationem seculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit: imo et quae justa sunt caro non amittit per curam Ecclesiae, agapen fratrum; et insuper quae semper utilia fidei spiritus adipiscitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium caederis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis, jam et a persecutione. Hoc praestat carcer Christiano, quod eremus prophetis. Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut seculo cederet. Gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstravit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, et non stadia opaca aut porticus longas proponens tibi, sed illam

viam quae ad Deum ducit. Quotiens cum spiritu deambulaveris, totiens in carcere non eris. Nihil crus sentit in nervo [1]), cum animus in coelo est. Totum hominem animus circumfert, et quo velit transfert. *Ubi autem erit cor tuum, illic erit et thesaurus tuus* (Matth. 6, 21). Ibi ergo sit cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum.

CAPUT III.

Militia est vita Christiani.

Sit nunc, benedicti, carcer etiam Christianis molestus? Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus [2]) expeditis et substrictis, ubi omnis duritia, et imbonitas, et insuavitas constitit. Etiam in pace, labore et incommodis bellum pati jam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem densando. Su-

---

[1]) *Nihil crus sentit in nervo.* Nervus hic ligni genus est multis foraminibus distinctum, quo tyranni utebantur, ut martyres cruciarent cruraque disjuncta et luxata frangerentur.

[2]) Papiliones sunt tentoria, sub quibus in castris degebant milites.

dore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant: de umbra ad solem, de sole ad coelum[1]), de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi et corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est; xystarches Spiritus sanctus; corona, aeternitatis brabium, angelicae substantiae politia in coelis, gloria in secula seculorum. Itaque epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit[2]), voluit vos

[1]) Mallem cum Latinio legere: *ad gelu*, quia commodus tunc erit sensus; nam sicut antea *umbram* opposuerat solis *luci*, ita hic *frigus* opponere videtur solis *calori*.

[2]) *Agonothetes* est agonis seu certaminis judex praemiique distributor. *Xystarches* i. e. certaminis praeses ac moderator dicitur Spiritus sanctus, qui gratia sua martyres inungens eos ad cursum consummandum bonumque certamen certandum roborat. Christus vero est *epistates* i. e. athletarum magister, qui martyres verbo et exemplo instruit et ad hoc scamma i. e. certamen producit. Verba illa, *corona aeternitatis brabium* etc. alii aliter interpungunt. Selegimus eam interpungendi rationem, quam in textu dedimus, quod ea sensus reddatur clarior. Triplex nimirum praemium martyribus hic Tertullianus ob oculos ponit: coronam incorruptam (9. Cor. 9, 25), conversationem cum angelis in coelo, et gloriam in secula seculorum.

ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim et athletae segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori aedificando vacent: continentur a luxuria, a cibis laetioribus, a potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria sperant: *Et illi*, inquit Apostolus, *ut coronam corruptibilem consequantur* (1. Cor. 9, 25), nos aeternam consecuturi. Carcerem nobis pro palaestra interpretemur, ut ad stadium tribunalis, bene exercitati incommodis omnibus, producamur: quia virtus duritia exstruitur, mollitia vero destruitur.

CAPUT IV.

Quibus stimulis martyrium subeundi alacritas sit excitanda.

Scimus ex dominico praecepto, quod *caro infirma sit, spiritus promptus* (Matth. 26, 41). Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse. Propterea enim praedixit spiritum promptum, ut ostenderet quid cui debeat esse subjectum, scilicet, ut caro serviat spiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam ipsa fortitudi-

nem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec jam de incommodis carceris, sed de ipso agone et proelio cogitans. Timebit forsitan caro gladium gravem, et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium poenam, et omne carnificis ingenium in tormentis: sed spiritus contraponat sibi et carni, acerba licet ista, a multis tamen aequo animo excepta, imo et ultro appetita, famae et gloriae causa; nec a viris tantum, sed etiam a feminis, ut vos quoque, benedictae, sexui vestro respondeatis. Longum est si enumerem singulos, qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De feminis ad manum est Lucretia, quae vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suae pareret. Mutius dexteram suam in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt philosophi: Heraclitus, qui se bubulo stercore oblitum exussit; item Empedocles, qui in ignes Aetnei montis dissiluit, et Peregrinus, qui non olim se rogo immisit, cum feminae quoque contempserint ignes: Dido, ne post virum dilectissimum nubere cogeretur: item Asdrubalis uxor, quae jam ardente Carthagine cum maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium

patriae devolavit. Regulus, dux Romanorum captus a Carthaginiensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, et in arcae genus stipatus, undique extrinsecus clavis transfixus, tot cruces sensit. Bestias femina libens appetiit, et utique aspides, serpentes tauro vel urso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis, quae conscia conjurationis, cum propterea torqueretur a tyranno, et non prodidit conjuratos, et novissime linguam suam comestam in faciem tyranni exspuit; ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultra perseverarent. Nam quae hodie apud Lacedaemonas solemnitas maxima est, *διαμαστίγωσις*, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus: ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus. Igitur si tantum terrenae gloriae licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub

praemio laudis humanae, possum dicere, modicae sunt istae passiones ad consecutionem gloriae coelestis et divinae mercedis. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?

CAPUT V.

Exempla constantiae de affectatione venientis.

Omitto nunc gloriae causam. Eadem omnia saevitiae et cruciatus certamina, jam apud homines affectatio quoque et morbus quidam animi conculcavit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat! Certe ad feras ipsas affectatione descendunt, et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur. Jam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. Haec, benedicti, non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos et nunc exhortandos, et in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quae alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.

CAPUT VI.

Ipsa humanae conditionis contemplatio constantiam in ferendis tormentis docere nos debet.

Sed haec exempla constantiae omittamus de affectatione venientis. Convertamur ad ipsam conditionis humanae contemplationem, ut et illa nos instruat, si qua constanter adeunda sint, quae et invitis evenire consueverunt. Quoties enim incendia vivos cremaverunt! quoties ferae et in silvis suis et in mediis civitatibus elapsae caveis, homines devoraverunt! quot a latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce exstincti sunt, torti prius, imo et omni contumelia expuncti [1])! Nemo non etiam hominis causa pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel praesentia nobis tempora documenta sint, quantae qualesque personae inopinatos natalibus, et dignitatibus, et corporibus, et aetatibus suis exitus referunt, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint; aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint.

---

[1]) *Omni contumelia expuncti* i. e. omne contumeliae genus perpessi.

DISSERTATIO III.

MARTYRUM SANGUIS VOX VERITATIS.

(Ad Tertulliani S. ad Martyres c. 4 s.).

I. Dissertationis argumentum.

1. Arbor ex fructibus dignoscitur, ex opere colligitur artificis praestantia atque ex rei alicujus dotibus de ejusdem perfectione conjectura fit. Quare si operis Christi i. e. Ecclesiae eae sunt sive dotes sive fructus, quae conditionem instituti plane praetergrediuntur humani, superhumanum, supernaturale, divinum illud ejusque auctorem legatum Dei existimare certe oportet. Verum quomodocunque opus Christi consideremus sive ejus *latitudinem*, sive *longitudinem*, sive *altitudinem*, sive *profunditatem*, divinum plane illud agnoscemus. Et *latitudinem* quidem considerare possumus in rapidissima religionis christianae per orbem propagatione non obstantibus gravissimis omnis generis difficultatibus mediis ex se prorsus insufficientibus effecta; haec enim manifesto digitum Dei in hoc opere fuisse

ostendit [1]). *Longitudo* splendet in diuturna ejusdem religionis mediis in saevissimis procellis conservatione invictaque constantia, quae clare ostendit, Christum tamquam coelestem navarchum secundum sua promissa semper Ecclesiae adesse [2]).

---

[1]) Scite Chrysostomus (Expos. in Ps. 147. n. 4.) comparatione instituta inter diffusionem humani generis rapidam per orbem et diffusionem religionis christianae unum fuisse utriusque auctorem infert. „Quemadmodum, inquit, cum dixisset in principio, *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. 1, 28), universam terram sermo pervasit: ita et postea, *Ite et docete omnes gentes* (Matth. 28, 19), et, *Praedicabitur Evangelium hoc in toto mundo* (ib. 26, 13), atque ipsos etiam fines orbis terrae brevi momento temporis jussus ejus occupavit."

[2]) Merito confert Chrysostomus in aureo opusculo *Quod Christus sit Deus* n. 13. verba Salvatoris: *Aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18.) cum verbis: *Fiat coelum* (seu firmamentum Gen. 1, 6). Quae enim stabilitas firmamenti, haec et Ecclesiae est. Ita et auctor anonymus S. 2. in Genesim (inter spuria Chrys. ap. Migne Patrol. gr. 56, 525 s.): „Duo verba pronunciavit Dominus: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* etc. Non est usus magno verborum ambitu; non dixit: Firmabo Ecclesiam, et nec reges, nec principes, neque tyranni, neque carnifices, neque sapientes, neque rustici, neque oratores superabunt Ecclesiam: nam invictum et inexpugnabile est regnum Christi; verum uno verbo vim et potentiam declaravit ac simplici dictione promissionem munivit: *Super hanc petram* etc. Duo verba, non

Altitudo vero seu sublimitas religionis christianae in morum mutatione, quam effecit, refulget. Quemadmodum enim pulcherrima mundi hujus species, quae chaos excepit, gloriam sapientissimi Dei conditoris enarrat, ita evidens humani generis ex vitiorum colluvie in melius conversio, quae religionis christianae est fructus, opus annunciat Spiritus faciem terrae renovantis [1]). Ejus *profunditatem* testantur tot martyrum agmina, in quibus tam altas fides christiana egit radices, ut nullus persecutionum furor, turbo procellarum nullus eam convellere potuerit.

2. Admodum utile foret et jucundum quadruplicem hanc Ecclesiae dotem ac praerogativam Patribus praeeuntibus paulo uberius illustrare, sed dissertationis angustiis constricti contenti erimus paucis de probandi vi illius argumenti disputasse, quod pro asserenda divina religionis christianae origine ex Martyrum testimonio et constantia invicta derivari solet; non tantum ut illius pretium apologeticum vindice-

---

nuda et tenuia verba sed Dei verba. *Nam qui verbo coelum firmavit et terram fundavit verbo, etiam Ecclesiam aedificavit.*«

[1]) Iterum Chrysostomus l. c. ad hoc illustrandum provocat ad verba Dei (Gen. 1, 11): *Germinet terra herbam virentem* etc. Cf. etiam Athanas. de incarn. Verbi n. 53.

mus, verum etiam ut scrupulum omnem tollamus, quem Tertullianus de ethnicorum quorundam constantia disserens[1]) contra illius argumenti vim, quo tam feliciter usi sunt apologetae christiani, posset injicere.

II. Martyrum ingens numerus.

3. Ut vero ex Martyrum constantia invicta veritas illius doctrinae, pro qua sanguinem fuderunt suum, comprobari possit, omnia hujus facti adjuncta sedulo explorare diligenterque rimari oportet, neque enim constantia quaecunque in tormentis vim habet probantem, cum nulla fere sit secta, quae suis non glorietur martyribus. Quare primo *infinitum* consideremus Martyrum *numerum* et quidem *aetatis omnis*, cum non solum juvenes et viri, sed et infantes teneri venerandique senes pro Christo tradiderint animas suas; *sexus omnis omnisque conditionis*[2]), neque enim rudes tantum, servi, pau-

[1]) Supra in Sermone ad Martyres c. 4 ss.

[2]) Ita ex. gr. S. Dionysius Alex. ad Domitium et Didymum de persecutione Deciana scribit (ap. Eusebium H. E. L. 7. c. 11): „Nostros vero (Martyres) superfluum est nominatim recensere, cum et *plurimi* sint et vobis ignoti. Id tantum in universum vos scire convenit, viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos (gr. *ἰδιῶται* i. e. homines privati, qui non militant) *ex omni denique*

peres, ex ima plebe, sed et divites, et nobiles, et domini ex illustri, senatoria imo et caesarea oriundi stirpe doctrinam Christi sanguine suo obsignarunt, nec ulla est gens vel natio, quae suorum non plures inter Martyres numeret. Innumerabilem hanc Martyrum multitudinem testantur monumenta antiquitatis omnia, vel lapides muti[1]), frustra reclamante Dodwello[2]), quem

---

hominum genere atque aetate alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse.« Quibus similia persaepe leguntur toto L. 8. Hist. eccles. ejusd. Eusebii, et in L. de Mart. Palaestinae.

[1]) Pulchre ita canit Prudentius (Peristeph. Hymno 11):

„*Innumeros* cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, et singula quaeris
Nomina? Difficile est, ut replicare queam,
Tantos justorum populos furor impius hausit
Quum coleret patrios Troja Roma deos.
Plurima literulis signata *sepulcra* loquuntur
Martyris aut nomen aut epigramma aliquod,
Sunt et *muta* tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quae solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus.«

[2]) Dissert. Cyprianica 11.

egregie inter alios refutat Ruinart[1]). Cum vero hoc factum nunc vix in dubium revocari possit, pluribus illud demonstrare necesse non erit. Adduxisse sufficiet ea testimonia, quae paucis Perrone, postquam jam aliis ex fontibus comprobavit maximum Martyrum numerum, ita complectitur[2]): „Certe ex Tacito[3]) fuit *multitudo ingens* eorum, qui sub Nerone crudeli martyrio necati sunt; *plurimos sub Domitiano Christianos fecisse martyrium* patet ex Brutio apud Eusebium[4]), quod confirmatur a Xyphilino Dionis continuatore, seu potius epitomatore. Cum vero Plinius sub Trajano quosdam Christianos e vita sustulisset, *ipsa tamen multitudine perturbatus*, quid de cetero ageret consuluit Trajanum tunc imperatorem, ut scribit Tertullianus[5]), atque ut de reliquis imperatoribus taceam, *innumeram fuisse multitudinem eorum* qui sub Diocletiano passi sunt, saepe testatur Eusebius[6]);

[1]) Praefat. gener. in acta MM. § 2, 3. Cf. etiam Ansaldi O. Praed. in opere: *De causis inopiae veterum monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda adversus Dodwellum.* Mediolani 1740.

[2]) Praelect. theolog. V. 1. P. 1. c. 4. prop. 5. n. 415.

[3]) Annal. L. 15. n. 44.

[4]) Hist. eccles. L. 3. c. 18.

[5]) Apolog. c. 2.

[6]) Hist. eccles. L. 8. c. 4, et L. 1. de vita

nec mirum, siquidem, ut refert Lactantius [1]), *vexabatur universa terra, et praeter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.*"

III. Tortorum crudelitas et furor immanis.

4. Momentum *aliud* haud obiter praetereundum exquisitissima sunt supplicia, quibus martyres cruciabantur, quae vel memoria recolere refugit animus. Quidquid enim crudelitas ferumque persequutorum ingenium excogitare poterat cruciatuum tormentorumque ad labefactandam Martyrum constantiam admotum fuit. Hinc Lactantius scribit [2]): „Quae autem per to-

---

Constantini c. 13, ubi comparat persecutionem Diocletiani et Maximiani bello civili.

[1]) De mort. persec. c. 16, et rursum L. 5. div. instit. cc. 9, 11.

[2]) Divin. instit. L. 5 c. 11. Sic vero c. 16. de mortibus persec. exorditur: „Vexabatur ergo *universa terra*, et praeter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.

Non mihi si linguae centum sint, oraque centum
Ferreaque vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possem,

quae judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt." Speciminis gratia sint, quae narrat de saevitia Galerii adversus Christianos (ib. c. 21) his verbis: „Cum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus levis flamma tamdiu, donec calium solorum con-

tum orbem singuli (satellites impiae jussionis) gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis?..... Itaque dici non potest, hujusmodi judices quanta et quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent.« Quibus similia referunt ecclesiae Viennensis et Lugdunensis in praeclara epistola ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos. „Et gravitatem quidem, inquiunt [1]), ipsam aerumnarum et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quaeque et quanta beati Martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo nec quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius etc.«

5. Praetermissa autem singulorum tormentorum consideratione [2]) trium tantum, quae ultra

---

tractum igne, ab ossibus revelleretur. Deinde incensae faces et exstinctae admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter haec suffundebatur facies aqua frigida, et os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus, cito spiritus redderetur, quod postremo accidebat, cum per multam diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur.«

[1]) Apud Eusebium Hist. eccles. L. 5. c. 1.

[2]) Cf. singulare doctumque opus Ant. Gallonii Con-

quam dici possit cruciatuum vim sensumque augebant, injiciemus mentionem. Atrocior siquidem magisque periculosa saepe fuit Martyribus *pugna adversus carnem et sanguinem*, contra affectus naturae, cum parentibus vel filiis. Hanc pugnam ejusque vehementiam egregie ita describit Augustinus [1]): „Per caritatem multi mortui sunt seculo, ut viverent Deo. Hac caritate accensi Martyres non simulati, non vana gloria ventilati, non tales, de quibus dictum est: *Si tradidero corpus meum ut ardeam* etc. (1 Cor. 13, 3.) sed tales, quos vere Christi et veritatis caritas perduceret ad passionem, quid eis fecerunt persecutiones saevientium? Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur? Quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legitur in passione beatae Perpetuae [2])? Facta sunt ista. Sed la-

---

gregat. Oratorii presbyteri: *De ss. Martyrum cruciatibus.* Romae 1594. Nourry dissert. in Apolog. Tertulliani c. 16. a. 1.

[1]) Enarrat. in Ps. 47. n. 13.

[2]) Praeclaris hisce in actis describitur pluribus pugna atrox B. Perpetuae cum patre suo c. 1. § 2, c. 2. § 1, ubi haec legimus: „Supervenit autem et

crymae quantaelibet et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem caritatis exstinguerent?«

6. Alterum quod persecutionum crudelitatem augebat *summa* fuit *illarum injustitia*. Subjiciebantur enim Martyres dirissimis tormentis omni defensione negata, quae vel nefandissimorum scelerum reis concedebatur, conculcatisque omnibus juribus, cum ad libidinem fierent omnia. Hanc acriter exprobrat romani imperii antistiti-

---

de civitate pater meus consumptus taedio, ascendit ad me ut me dejiceret dicens: Miserere, filia, canis meis; miserere patri, si dignus sum a te pater vocari. Si his te manibus ad hunc florem aetatis provexi, si te praeposui omnibus fratribus tuis, ne me dederis in dedecus hominum.... aspice ad filium tuum, qui post te vivere non poterit. Depone animos, ne universos nos extermines. .... Haec dicebat pater pro sua pietate basians (i. e. osculans) mihi manus, et se ad pedes meos jactans, et lacrymis non filiam sed dominam me vocabat. Et ego dolebam canos patris mei, quod solus de passione mea gavisurus non esset de toto genere meo etc.« Cf. § 2, c. 3. § 1, ubi haec habentur: „Ut autem proximavit dies muneris (spectaculi publici quo Martyres bestiis erant objiciendi), intravit ad me pater meus consumptus taedio et coepit barbam suam evellere, et se in terram mittere, et prosternere se in faciem, et improperare annis suis, et dicere tanta verba, *quae moverent universam creaturam.* Ego dolebam pro infelici senecta ejus.« Apud Ruinart Acta Martyrum. Cf. similia de S. Gordio ap. Basil. M. in ejus H. 19. de eo n. 7.

tus Tertullianus [1]) ita eos alloquens: „Respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. *Sed Christianis solis nihil permittitur loqui*, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum. Sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando si de aliquo nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidae vel sacrilegi vel incesti vel publici hostis..... contenti sitis ad pronunciandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, modum, tempus, conscios, socios. *De nobis nihil tale*" etc. Qua occasione responsum illud Trajani irridet, quo ad consultationem Plinii, quid cum Christianis quorum perturbatus fuit multitudine de cetero ageret, hunc in modum rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. „O sententiam necessitate confusam! subdit Tertullianus. Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas cur non et inquiris, cur non et absolvis [2])?" Jam vero

[1]) Apolog. c. 2.

[2]) Cf. Nourry in dissert. ad Apol. c. 17. a 2.

cum omnis homo natura ipsa impellente juris proprii admodum sit tenax vehementerque doleat, si illud laedatur, quantum pungere animos non debuit Martyrum tam iniqua, tam injusta condemnandi ratio.

7. Fastigium vero crudelitas plus quam belluina persecutorum attigit, cum *cruciare tantum* viribus omnibus nitebatur, cavens ne cui confessorum mortem, quam tantopere exoptabant, inferret. Testantur hanc saevitiem passim Patres. „Contendunt igitur, scribit Lactantius [1]), ut vincant, et *exquisitos dolores* corporibus immittunt, et nihil aliud devitant, *quam ut ne torti moriantur*.... pertinaci stultitia jubent, curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur et reparetur novus sanguis ad poenam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest?“ Testatur idem Hieronymus [2]): „Sub Decio et Valeriano persecutoribus.... multas apud Aegyptum et Thebaidem ecclesias tempestas saeva populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora, et ut ipse qui ab eo pas-

[1]) Divin. instit. L. 5. c. 11.
[2]) In vita Pauli eremitae.

sus est Cyprianus ait: *Volentibus mori non permittebatur occidi.*«

IV. Martyrum constantia invicta.

8. Sed licet adeo immanes, adeo saevi et crudeles fuerint Martyrum cruciatus, quanta *constantia*, quanta animi fortitudine illos tolerarunt? „Latrones et robusti corporis viri, ita Lactantius [1]), ejusmodi lacerationes perferre nequeunt; exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) *pueri* et *mulierculae* tortores suos taciti vincunt et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit.... Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo [2]).«

[1]) Divin. instit. L. 5. c. 13.

[2]) Simili modo jam Minucius Felix praetulit Martyrum virtutem omni romanorum heroum fortitudini. „Vos ipsi, ita ethnicos alloquitur, calamitosos viros fertis ad coelum, Mutium Scaevolam, qui cum errasset in regem, periisset in hostibus, nisi dexteram

Hujus constantiae heroicae exemplis plena sunt acta Martyrum. Pauca ex innumeris non tam ut eam quasi incertam probemus, quam ut animos pascamus facinoribus adeo illustribus, in medium proferamus. Ita testes oculati Blandinae tenerae virginis virtutem heroicam describunt[1]): „Praecipue tamen vulgi ac praesidis et militum furor universus incubuit.... in Blandinam, per quam Christus ostendit, quae vilia, deformia contemptaque hominibus videntur, ea maximo honore affici a Deo propter excellentem erga ipsum caritatem, quae in virtute potentiaque ostenditur, non specie inani gloriatur. Nam cum universi trepidaremus, ipsaque illius temporalis domina... formidaret in primis ne illa ob tenuitatem corporis, liberam confessionem edere non valeret:

---

perdidisset. Et quot ex nostris non tam dexteram solam sed totum corpus uri, cremari sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mutio vel cum Aquilio aut Regulo comparo? *Pueri et mulierculae nostrae* cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt.« (In Octavio c. 37.). Tanta fuit persecutorum saevitia ut teste Cvpriano (ep. 10. al. 9.) „*in servis Dei jam non membra sed vulnera torquerentur.*«

[1]) In ep. Ecclesiarum Viennen. et Lugdun. ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos ap. Eus. Hist. Eccl. L. 5. c. 1.

tanto animi robore firmata est Blandina, ut tortores qui invicem sibi succedentes a prima luce usque ad vesperam omni tormentorum genere eam excruciaverant, resoluta nervorum compage, deficerent seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam spiritum ducere, toto corpore lacerato atque perfosso, testarenturque unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta. Verum beata illa, instar generosae cujusdam athletae, in ipsa confessione vires atque animos resumebat: eratque ei refectio et quies, sensumque omnem praesentis doloris adimebat prolatio horum verborum: *Christiana sum et nihil apud nos mali geritur.*" Quid illustrius constantia S. Agnetis puellae tredecim annorum, qua plus trepidabat ipse carnifex, ut refert S. Ambrosius [1]), cujus narrationem licet pulcherrimam praeterimus, cum omnibus in Breviario romano praesto sit. Haec vero refert Nilus testis pariter oculatus de S. Theodoto [2]): „Nullum feralium instrumentorum genus permissum est otiosum, non ignis, non ferrum, non ungulae: sed

[1]) L. 1. de Virginibus c. 2, ex quo desumptae sunt lectiones 2. Nocturni in festo S. Agnetis d. 21. Jan.

[2]) Ap. Ruinart Acta MM. sincera n. 27.

alii aliunde irruentes vestimentaque detrahentes, in equuleum levaverunt hominem divisique in partes latera ejus lacerabant ungulis, quantum unusquisque valebat, labori non parcens. Martyr vero laeto ac subridenti vultu intuebatur percutientes et sine conturbatione ulla suscipiebat sensum tormentorum, neque vultum contorquens, neque saevitiam tyranni declinans. Habebat enim adjuvantem se Dominum nostrum Jesum Christum usque dum verberantes lassarentur. Et his quidem deficientibus succedebant alii. Pugil autem invictus corpus suum tamquam alienum tradiderat carnificibus, mentem habens fixam in Dominum universorum. Tunc jussit Theotecnus fortissimum acetum infundi lateribus ejus et lampades flammantes admoveri. Cumque aceto compunctus Sanctus atque ab adustis laterum carnibus nidorem sentiens, nonnihil avertisset nares, de throno confestim suo desiliens Theotecnus: Ubi nunc, inquit, Theodote, verborum tuorum generositas?..... Cui Martyr: Nihil te commoveat, Proconsul, quod videris me sentiendo nidorem laterum meorum contorsisse nares: sed jube potius ut satellites tui exequantur mandata. Conspicio enim remissius eos agere[1]). Tu vero

---

[1]) Cui ignota sunt quae narrat cum S. Augustino S. 303, Aurelio Prudentio in H. de mart.

tormenta excogita et novarum adinventiones machinarum, ut fortitudinem meam experiaris: quin potius agnosce Dominum Jesum adjuvantem me, per quem te velut mancipium contemno et impios tuos imperatores despicio. Tantos animos dat mihi Christus Dominus. Quod si nocentem me comprehendisses, haberet in me locum timor: nunc vero non formido minas tuas pro Christi fide quidlibet pati paratus. Haec loquentis maxillas jussit Theotecnus saxis pulsari et dentes excuti. E contra vero Martyr: Etiamsi linguam mihi excideris, Theotecne, et omnia vocis organa, Deus tamen etiam tacentes Christianos exaudit.“

9. Sed non solum *constanter*, non solum *fortiter* Martyres ferebant cruciatus, sed *prompte, alacriter, hilariterque* se illis obtulerunt. „Obsecro vos, ita Romanis scribebat Ignatius[1]) quos martyrium suum impedituros fore suspica-

---

S. Laurentii v. 101. Ambrosius de S. Laurentio (L. 1. Offic. c. 41): „Cum impositus super craticulam exureretur: *Assum est*, inquit, *versa et manduca.* Ita animi virtute vincebat ignis naturam.“ Simile est quod narrat Socrates de SS. Macedonio, Theodulo et Tatiano (H. Eccl. L. 3. c. 15): „Illi extremum specimen fortitudinis ediderunt his verbis praesidem allocuti: *Si cupis, Amachi, carnes assas degustare, verte nos in alterum latus, ne forte gustui tuo semiassi videamur.*“

[1]) Ep. ad Rom. n. 4.

batur, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molar ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant nihilque mei corporis relinquant, ne postquam obdormiero, gravis alicui fiam.“ Hinc B. Symphorosa Hadriano imperatori dicenti: „Aut cum filiis tuis sacrifica diis omnipotentibus aut te ipsam cum tuis filiis sacrificari faciam“, respondit [1]): „Et unde mihi tantum boni, ut ego merear cum filiis meis offerri hostia Deo?“ Hinc illa sancta B. Laurentii invidia „qui cum videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere coepit, non passionem illius sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare coepit: Quo progederis sine filio pater? quo sacerdos sancte sine diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit pater? numquid degenerem probasti [2])?“ Hinc Tertullianus de Christianis sui temporis testatur [3]): „Nemi-

[1]) Ap. Ruinart Acta MM. sincera n. 2.

[2]) Ap. Ambros. Offic. L. 1. c. 41.

[3]) Ad Nationes L. 1. c. 1. Ita gratias agebat Hilarianus puer (in actis SS. Saturnini, Dativi etc. qui passi sunt in Africa c. a. 304. n. 17. ap. Ruinart), cui Proconsul minabatur: „Amputabo et comam

nem pudet, neminem poenitet nisi pristinorum. Si denotatur, gloriatur; si trahitur, non subsistit; si accusatur, non defendit; interrogatus confitetur, damnatus gratias agit.“

10. Imo tanto erat martyrum alacritas ut ultro neci se offerrent. Ita refert Sulpicius Severus de nona persecutione [1]): „Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pronis ambitionibus appetuntur.“ Idem testatur S. Hilarius [2]): „Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii caesi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt; plures in exstructos rogos currunt et trepidantibus poenae ministris ignem saltu devotae festinationis insiliunt.“ Insigne est fa-

---

tibi et nasum et auriculas et sic te dimitto. Ad haec Hilarianus puer.... clara voce respondebat: Quidquid facere volueris fac, quia Christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur, ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur dicentis: *Deo gratias.*“ Sic Irenaeus episcopus Syrmiensis (passus c. a. 304) praesidi dicenti: Aut sacrifica aut faciam te torqueri, respondit: „Gaudeo si feceris, ut Domini mei passionibus particeps inveniar.“ (In ejus actis n. 2. ap. Ruinart.).

[1]) Sacr. hist. L. 2.

[2]) Enarr. in Ps. 65. n. 21.

ctum, ad quod provocat Tertullianus [1]): „Arius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt, cum ille paucis duci jussis, reliquis ait: *Ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε* [2]). Hoc si placuerit et hic fieri, prosequitur idem, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris et feminis omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatibus offerentibus se tibi?“ Hinc Chrysostomus hanc rationem reddit, cur Julianus apostata apertam contra Christianos persecutionem moliri noluerit: „Novit enim, aperte novit, quod si hoc auderet ille, omnes pro Christo animas suas prodidissent. Omnes enim, inquit, ut ad favum apes, ad martyrium convolabant [3]).“

V. Martyrum virtutes.

11. Consideravimus Martyrum in saevissimis cruciatibus constantiam. Sed non tanti inest

---

[1]) Ad Scapulam c. 5. Aliud insigne factum narrat Rufinus H. E. L. 2. c. 5, quod Edessae in Mesopotamia tempore Valentis imperatoris ariani contigit.

[2]) Hoc est: O miseri, si mori vultis, praecipitia habetis et laqueos.

[3]) Cf. plura de hac moriendi alacritate in doctissima dissert. apol. pro SS. Perpetua, Felicitate et

huic momenti, quantum *reliquis virtutibus*, quas martyrii tempore exercebant. Ad rem scribit cl. Cardinalis Orsi [1]): „Non enim Christianorum martyrium adeo commendat mors pro fide suscepta, cum alii multi ex omnibus sectis pro suis superstitionibus ultro se neci tradiderint, quam ceterarum virtutum apparatus, quo suum agonem catholici Martyres decorarunt: fides scil., spes, caritas, religio, pietas, modestia, excelsi animi robur invictum.“ Harum virtutum specimina quaedam liceat nobis hic afferre. Martyrum *humilitatem* magna laude prosequuntur fideles ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ita fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis scribentes de iis, qui apud ipsos pro fide sanguinem fuderunt suum [2]): „Qui quidem Christum aemulari atque imitari tantopere studuerunt, ... ut quamvis in tantum gloriae culmen evecti essent, neque semel atque iterum sed saepius martyrium subiissent et a bestiis denuo in carcerem relati essent, quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices et vulnera toto corpore circumferrent; tamen nec seipsos martyres praedicarent nec a nobis ita se appellari paterentur. Verum si quis

---

sociis auctore Jos. August. Orsi O. Praed. S. R. E. Cardinali c. 6.

[1]) L. c. § 3.

[2]) Ap. Euseb. H. E. L. 5. c. 2.

nostrum per literas aut in familiari colloquio eos martyres compellasset, objurgabant graviter atque increpabant..... Simul profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continuae ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur.«

12. Ex hac humilitate oriebatur *salutaris timor* quoadusque agonem non consummassent, *orandi assiduitas*, aliorum orationibus se commendandi studium, ut patet ex verbis allatis. Id elucet quoque in Lucio S. Cypriani discipulo „cui cum fratres dicerent: Memento nostri, Vos, inquit, mei mementote. Quanta Martyris humilitas, subdit actorum relator [1]), de gloria sua nec sub ipsa passione praesumere.« „Domine Jesu Christe, dicebant SS. Tryphon et Respicius [2]) elevantes oculos ad coelum, ne diabolus praevaleat adversus nos, sed exaudi nos et perfice cursum nostrum, *ut tua sicut pugna et tua sit victoria.*« De S. Victore Massiliensi pariter legimus [3]): „Victis tortoribus revocatur ad carce-

---

[1]) Ap. Ruinart. l. c. in passione SS. Montani, Lucii et aliorum MM. n. 13.

[2]) Qui passi sunt sub Decio c. a. 250 in Bithynia. Habentur haec in eorum actis n. 5. ap. Ruinart.

[3]) In ejus sociorumque passione ap. Ruin. l. c. n. 14. Passus est autem S. Victor c. a. 290. vel 303.

rem, ubi triduo in oratione perseverans, martyrium suum magna contritione cordis et multis lacrymis Domino commendabat.« Nil aliud venerandus senex Polycarpus sibi a persecutoribus deprecatus est, quam „ut ei horam concederent, qua posset orare, et omnipotenti Deo debita precum vota persolvere. Praebita facultate instanter petebat donum Dei praeceptumque compleri. Jugiter autem per duas ferme horas oratio illa duravit, stupefactis audientibus, et quod majoris palmae videtur, inimicis [1]).«

13. Orationi addebant Martyres *exactam jejuniorum observantiam.* Hinc cum multi ex fraterna caritate S. Fructuoso episcopo martyrio jam proximo poculum offerrent, ajebat ille:

---

[1]) Ecclesia Smyrnensis de mart. S. Polyc. n. 7. Similia exempla innumera in actis MM. recurrunt. Sic in actis SS. Saturnini, Dativi etc. qui in Africa passi sunt c. a. 304, legimus (ap. Ruinart n. 9): „Spectabat interea Dativus lanienam corporis sui potius quam dolebat: et cujus ad Dominum mens animusque pendebat, nihil dolorem corporis aestimabat, sed tantum ad Dominum precabatur dicens: Subveni, rogo, Christe, habe pietatem. Serva animam meam, custodi spiritum meum, ut non confundar. Rogo Christe, da sufferentiam.« Cf. n. 10, 11, 13, 14 etc. Celebres 40 Martyres (passi c. a. 320 Sebastae in Armenia) orabant teste Basilio (H. 19. n. 5): „Quadraginta in stadium intravimus, utinam quadraginta, o Domine, coronemur. Non desit numero ne unus quidem.«

„Nondum est hora solvendi jejunii.“ Agebatur enim hora diei quarta et S. Episcopus cum suis sociis in carcere solemniter stationem celebraverat [1]).

14. Quanta autem fuit Martyrum erga inimicos suos *caritas* et *mansuetudo?* Nullum vindictae detegitur vestigium, quod jam Tertullianus causam Christianorum agens illis summae ducit laudi [2]). Unde Mauricius cum suis commilitonibus Maximiano dicere potuit [3]): „Vidimus laborum periculorumque nostrorum socios, nobis quoque eorum sanguine aspersis, trucidari ferro: et tamen sanctissimorum commilitonum mortes et fratrum funera non flevimus, non doluimus, sed potius laudavimus et gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro Domino Deo eorum. Et nunc non nos vel haec ultima vitae necessitas in rebellionem coëgit; non nos adversum te, Imperator, armavit ipsa saltem, quae fortissima est in periculis, desperatio. *Tenemus ecce arma, et non resistimus*, quia mori quam occidere satis malu-

---

[1]) Ita in ejus actis ap. Ruinart l. c. n. 3. Fuit autem Fructuosus episcopus Tarraconensis et passus est a. 259.

[2]) Apolog. c. 37. Cf. Opusc. T. 1 p. 119 s.

[3]) Apud Eucherium Lugdun. ep. ad Salvium de passione SS. Mauricii et sociorum ejus n. 4.

mus, et innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus.« S. Polycarpus milites ad eum capiendum missos convivio excepit[1]), „nec hoc sine divini magisterii mandato faciens, cum scriptum sit, inimicos nostros potu et cibo debere satiari (Rom. 12, 20).« S. Jacobus primus Jerosolymorum episcopus praecipitatus e fastigio templi „orabat dicens: Domine et Deus Pater, rogo ut ignoscas illis, quia nesciunt, quid faciunt[2]).« Praeclarum hujus caritatis specimen refert nobis Eusebius de quodam Paulo martyre hisce verbis[3]): „Qui ..... cum capitali sententia damnatus fuisset, imminente suae consummationis tempore, a carnifice qui caput ipsi jamjam erat praecisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitavit. Eoque impetrato, contenta voce, primo quidem pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit.... Tum pro judaeis supplicavit ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent. Deinde progressus eadem pro Samaritis obsecravit.

---

[1]) Ita refert ecclesia Smyrn. de ejus martyrio n. 7. Idem de S. Phoca M. refert Asterius episcopus Amasenus in ejus encomio.

[2]) Ap. Euseb. Hist. eccl. L. 2. c. 23.

[3]) De Martyribus Palaestinae c. 8.

Post haec pro gentilibus..... Sed nec promiscue circumstantium turbae mentionem praetermisit. Post hos omnes, o vere eximiam et inexplicabilem animi mansuetudinem! *pro ipso judice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat, pro imperatoribus ac pro ipso etiam carnifice, qui cervicem ipsi jamjam erat praecisurus*, illo ipso et cunctis qui aderant audientibus, supplex omnipotentem Deum rogavit, ne quod in ipsum admittebant facinus, illis imputaretur. Haec clara voce precatus, cum universi miseratione ejus commoti, utpote qui innocens occideretur, lacrymas funderent; nihilominus semetipse composuit, nudamque cervicem gladio feriendam praebens divino martyrio coronatus est.«

15. Quod si tanta fuit eorum erga inimicos caritas, quanta erga suos in Christo fratres, erga fideles, praesertim si fragilitate humana ob tormentorum saevitiam defecissent a fide? „Neque fastu et arrogantia intumuerunt adversus lapsos, ita de gloriosis Martyribus Lugdunensibus legimus[1]), sed ea quibus abundabant bona indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam misericordiae viscera gestantes magnamque vim lacrymarum pro illorum sa-

---

[1]) In ep. Eccl. Lugdun. et Vienn. ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos ap. Eus. L. 5 c. 2.

lute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt et largitus est eis Deus: quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti. Cumque pacem dilexissent, pacem nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Deum: non dolorem matri, non fratribus discidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam caritatemque omnibus relinquentes.«

16. Consideremus dein eorum in responsis *modestiam* et *prudentiam*. Quid illustrius illis venerandi senis Polycarpi verbis [1]): „Octogesimum et sextum annum aetatis ingredior, nomini ejus semper probatus et serviens, nunquam ab eo (Christo) laesus semperque servatus, quomodo possum eum odisse, quem colui, quem probavi, quem semper fautorem optavi, imperatorem meum, salvatorem salutis et gloriae, persecutorem malorum, ultoremque justorum?« Quid sapientius illo S. Felicitatis responso, quae cum in partu laborans doleret, ministro cuidam ipsi dicenti: „Quid facies objecta bestiis, quas contempsisti cum sacrificare noluisti, quae sic modo doles?« respondit: „*Modo ego patior, quod*

[1]) In ep. Eccl. Smyrn. de ejus martyrio n. 9. De S. Gordio refert Basilius M. in H. de eo (18. n. 7): „Aliis qui Christum ore negare adhortabantur, respondit: Linguam, quae a Christo creata erat, quidquam in conditorem loqui non posse.«

patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.« Ut paucis dicamus, ducti ad tribunalia, praefectis, proconsulibus, imperatoribusque ipsis quin tergiversentur, quin paveant viri, mulieres, pueri puellaeque respondent: *Christiani sumus, Christum stat adorare, vestra numina nihil sunt.* Indicuntur illis exsilia, reponunt orbem totum esse sibi exsilii locum, patriam suam esse coelum; praemia promittuntur, quae ii ut lutum contemnunt; denunciantur supplicia, quae veluti ludicra derident; tempus deliberandi iis datur dicuntque, se non indigere consultationibus, statuisse quid sibi sit agendum. Mortis sententia iis edicitur unaque voce *Deo gratias* respondent. Legantur acta autographa et proconsularia praecipue aut ea, quae ex illis fuerunt exscripta, in quibus interrogationes judicum responsionesque Martyrum, quibus verbis fuerunt redditae, sunt descriptae: num omnis graeca romanave antiquitas a suis heroibus sublimiora et animosiora sensa iis, quae expromunt non solum Justini Cyprianique, sed Perpetuae Afraeque, sed tot femellae, sed tot pueri, audivit unquam[1])?

---

[1]) Ita Valsecchi *de fundamentis religionis* L. 2. c. 15. n. 9.

16. Denique (neque enim omnia virtutum exempla afferre possumus) non sua virtute sed *gratia omnipotentis confisi* haec pro fide certamina inibant. Audiantur tantum quae in actis SS. Martyrum Tarachi, Probi et Adronici leguntur[1]): „Andronicus dixit... Armatus a Deo meo ante te assisto *in fide et virtute Domini Dei omnipotentis et Salvatoris nostri*, neque deos tuos sciens, neque principes neque tribunal tuum metuens. Et nunc omnes cogitationes tuas et omnia genera poenarum, quas excogitasti adversus servos Dei, proferantur in medio. Maximus (praeses) dixit: Tendite eum in palis et nervis crudis caedite eum. Andronicus dixit: Nihil magnum adversus tuam priorem comminationem excogitasti: hae sunt omnes minae tuae. Athanasius Cornicularius dixit: Totum corpus tuum vexatum est et pro nihilo habes omnia ista, miser? Andronicus dixit: Qui Deum vivum diligunt, ista omnia contemnunt. Maximus praeses dixit: De sale fricate ei dorsum..... Convertite eum et in ventrem caedite, ut priores plagae excitentur et usque ad medullas descendant. Andronicus

---

[1]) Passi hi sunt c. a. 304 in Cilicia. Actis autem his omnium eruditorum consensu nullum fere ex antiquis monumentis aut pretiosius aut sincerius habetur. Reperiuntur ap. Ruinart et quae hic adducimus leguntur n. 6.

dixit: Et in prima interrogatione vexasti corpus meum et sanus ante tribunal tuum oblatus sum. Praesto est et nunc qui me curat et salvat.... Medicus noster grandis est et pius, o stulte. Non medicamentum ponit aut emplastrum, sed solo sermone curat omnes qui sperant in eum. Habitat enim in coelo: praesens est ubique, quem tu non agnoscis, o insensate etc.[1]).«

VI. Alia adjuncta.

17. Alia praeterea sunt adjuncta, quae tamen obiter tantum indicabimus. Primum est *constantia* hujus facti. Sicut enim Ecclesiae nunquam lilia defuere virginum, ita semper quovis seculo, quavis mundi plaga, exornata fuit rosis Martyrum horumque sanguine irrigata; neque minor fuit sive constantia sive virtus Martyrum ex. gr. Japanensium, quam confessorum Ecclesiae vix natae ac per orbem propagatae fortitudo. Alterum consideratione dignissimum est, quod in Martyribus luculenter *adimpleta videmus* tot Christi *vaticinia* uti sunt: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem*

---

[1]) Ita Quirinus episcopus Siscianus (passus c. a. 309) Maximo praesidi respondit: „Non expavesco carcerem, credens Deum meum mecum esse in carcere, qui semper est cum suis cultoribus.“ In ejus passione ap. Ruinart n. 2.

vobis odio habuit (Joan. 15, 18); *Absque synagoga facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo* (ib. 16, 2). *In mundo pressuram habebitis, sed confidite ego vici mundum* (ib. 33). *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum..... Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes et morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum* (Matth. 10, 16 ss.) etc. Tertium non praetereundum sunt miracula, quibus Deus martyrum constantiam illustravit, quae a tot testibus fide dignissimis et oculatis referuntur, ut si *generatim universa* negentur, nullum amplius constet factum historicum.

VII. Discrimen ingens inter Martyrum christianorum virtutem et eorum, qui opponi solent, constantiam.

18. Ut argumenti vim, quod ex Martyrum constantia derivare solent apologetae religionis christianae, frangant adversarii, ad constantiam libenter provocant multorum, qui saevissimos nonnunquam tolerarunt cruciatus vel ex amore patriae, vel passionis impetu abrepti vel errore decepti fanatico. Nulla enim est gens, quae non suos habeat heroas, nulla secta, quae martyribus non glorietur. Militum etiam fortitudinem, patientiam, mortis contemptum quotidie mirari licet. Nemo vero propterea sive specialem Dei admittet interventum, sive justam esse causam illam, pro qua sanguinem fundunt, inferet. Quare nec ex Martyrum constantia sive supernaturalis Dei interventus sive divina religionis christianae comprobari poterit origo, cum explicari sufficienter queat ex causis naturalibus.

19. Antequam argumenti nostri vim paullo uberius illustremus, juverit nonnihil diligentius hanc expendere exceptionem. In primis vero negamus Martyrum christianorum virtutem posse conferri cum constantia quorumvis heroum, militum, hominum fanaticorum; tot enim tantaque sunt discrimina, ut vel horum consideratio osten-

dat, Martyrum constantiam fructum esse patientiae divinitus inspiratae.

20. Primo occurrit discrimen respectu *numeri*, nam nulla gens tot heroas, nulla secta[1]) tot proferre martyres potest, quot Ecclesia numerat. Ipsi deinde Martyres differunt *conditione*, cum Martyres Ecclesiae non fuerint tantum viri robusti, sed puellae et virgines tenerae, mulieres infirmae, provectae aetatis senes. Differunt *tormenta*, talibus enim tamque horrendis tormentis, qualia sustinuerunt Martyres nostri, nullus vel fere nullus eorum, qui Martyribus solent opponi, subjectus fuit. Differunt *alia adjuncta*, in primis quod Martyres christiani omnium virtutum comitatu suam ornarint confessionem. Quae si omnia diligenter conferantur

---

[1]) Si quaerimus a Patribus, quare inimici nominis christiani in catholicos quidem, fere nunquam vero in haereticos saeviant, respondet S. Cyprianus (ep. 58 ad Lucium Rom. Pont. c. 3): „Neque enim persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi. Haereticos prostratos semel et ipsos suos factos contemnit et praeterit: eos quaerit dejicere, quos viderit stare.“ Ita et ad Cornelium R. P. (ep. 13. vel 57. c. 3): „Neque quaerit (diabolus) illos, quos jam subegit aut gestit evertere, quos jam suos fecit. Inimicus et hostis Ecclesiae, quos alienavit ab Ecclesia et foras duxit, ut captivos et vinctos contemnit, et praeterit eos et pergit lacessere in quibus Christum cernit habitare.“

expendanturque, omnis heroum, qui opponi solent, fortitudo vix tenuis umbra est illius virtutis et constantiae, quam in Martyribus animadvertimus.

21. Longe vero majus discrimen apparet Martyres inter et milites, qui fortiter pro patria pugnant occumbuntque gloriose in pugna. Hi enim necessitate plerumque coguntur, quam non nisi vel turpi fuga, vel servitute indigna, vel amissione suorum vel graves subeundo poenas evadere possunt; illi vero tormenta omnia effugere potuissent solo verbo nutuque cum summi simul spe lucri. Milites non se exponunt morti certae, sed tantum plus minusve probabili mortis periculo, cui quo animosius se objiciunt, eo facilius plerumque illo perfunguntur: Martyres vero cruciatibus horrendis certaeque morti se offerebant. Militum mors plerumque est subita, hinc sine vehementi dolore, Martyrum vero prolixa, horrida. Isti tormenta adibant animo tranquillo, pacifico absque ullo vindictae studio, absque ira et felle, bene affecti vel erga judices et tortores, ipsis ex animo omnem condonantes injuriam, humiles et de sua virtute diffidentes: illi vero in pericula ruunt, ulciscendi studio iraque ardentes, caeco animi impetu abrepti, suis praefidentes viribus. Martyres nulla spe lucri movebantur; milites vero spe praedae, spe glo-

riae, spe honoris, spe evadendi periculo alliciuntur; unde liquet immerito militum fortitudinem Martyrum conferri constantiae.

VIII. Argumenti vis.

22. Consideremus jam argumenti vim, quo ex Martyrum constantia veritas comprobatur religionis christianae. *Illorum sanguinem vocem esse veritatis* videtur 1) manifestum ex ipso *eventu*. Testantur enim Patres, Martyrum sanguinem semen fuisse Christianorum, illoque Ecclesiam vere fuisse irrigatam. Testatur id gloriabundus Tertullianus ita romani imperii antistites alloquens [1]): „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra.... Nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. *Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum.*“ Quod similitudine illustrat Justinus. Postquam enim dixit [2]) „quanto

[1]) Apolog. c. 50.

[2]) Dial. cum Tryphone n. 110. Hac similitudine utitur et Theodoretus (Serm. 9. de leg.): „Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur, ita tunc quoque, piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant.“

magis magisque talia (tormenta) nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles et pii fiunt," ita prosequitur: „Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quae fructum ferunt, ita proficit ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat. Idem quoque nobis evenit. Plantata enim a Deo et Salvatore Christo vitis populus ejus est." Eadem similitudine utitur auctor libri *de duplici martyrio* alias S. Cypriano adscripti [1]). „Quo plus sanguinis effusum est, hoc magis effloruit fidelium multitudo; hoc latius sparsit suas propagines illa beata vitis a Christi stirpe surgens et occupans orbem universum, quacunque patet ab oriente ad occidentem, ab Aquilone ad Austrum." Quare S. Ambrosius Valentiniano imperatori scribere potuit (ep. 18. n. 11): „Nunquam nobis amplius contulerunt (imperatores), quam cum verberari Christianos atque proscribi ac necari juberent.... Per injurias, per inopiam, per supplicium nos crevimus." Hinc liquet, Martyrum sanguinem eloquentiorem fuisse omni rhetorum oratione, magis persuasisse omni philosophorum demonstratione, cum hi vix unum alterumve in suam pertraxerint sententiam; unde merito Tertullianus [2]): „Multi apud

---

[1]) § 9.
[2]) Apolog. c. 50.

vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus [1]). Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat [2])?« Jam vero si Martyrum sanguis *eloquentior* est omni sive *ratione* sive *oratione humana*, si hominibus *innumeris* persuasit *admodum dura*, *difficilia*, *aspera*, quorum *vix minimam partem* philosophi *aliquibus* poterant persuadere, quis non videt illum fuisse praeditum vi persuadendi *superhumana*

---

[1]) De his philosophis cf. Nourry in diss. in Apol. c. 16. a. 2.

[2]) Quibus similia sunt quae habet ad Scapulam Africae Proconsulem c. 5: „Nec tamen deficiet haec secta, quam tunc magis aedificari scias, cum caedi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus et inquirere accenditur, quid sit in causa, et ubi cognoverit veritatem et ipse statim sequitur.« Cf. verba Lactantii Instit. L. 5 c. 13. et eodem l. c. 23, ubi inter alias causas „quae in unum collatae magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt« et persecutiones refert. Cf. Hieronymum ep. 92. n. 10.

i. e. *divina?* „Non vides, interrogat Diognetum auctor perantiquus [1]), quo plures suppliciis afficiuntur, tanto majorem aliorum fieri numerum? *Haec non videntur ab homine fieri. Haec sunt Dei potentia, haec adventus ejus sunt indicia.*“ Ita Arnobius quum dixisset [2]), ipsis poenis et tormentis rem Christianorum proficere et augeri, quaerit: „Numquid haec fieri passim et inaniter creditis, fortuitis incursibus assumi has mentes? Ita ne istud non divinum et sacrum est, aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cum carnifices unci aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant crediturus, veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus praeponant amicitias Christi? Nisi forte obtusi et fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conspirant et coeunt in istius credulitatis assensum.“ Praeclara quoque

---

[1]) Auctor hic est vel secundi vel etiam primi seculi c. 7. Hanc persuadendi vim expertus est Justinus M., qui de se (Apol. 2. n. 12) scribit: „Nam et ipse ego, cum Platonis doctrina delectarer ac de criminibus in Christianos conjectis audirem, eos autem ad mortem et alia omnia quae videntur metuenda impavidos cernerem, fieri non posse intelligebam, ut in nequitia et in voluptatum amore viverent.“

[2]) Adversus gentes L. 2. c. 5.

sunt verba S. Ambrosii de S. Agnete[1]), cujus miram constantiam late descripserat: „Effecit, inquit, ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur. *Quia quod ultra naturam est, de auctore naturae est.*“ S. Athanasius vero fuse de hoc argumento pro comprobanda Christi missione divina disserens, haec inter alia habet[2]): „Si quis enim viderit homines natura imbecilles ad mortem fidenter convolare, nec ejus corruptionem formidare.... sed alacri animo illam provocare, nec tormenta timere, sed potius Christi amore mortem praesenti vitae praeferre: si quis item spectator fuerit virorum, mulierum tenerorumque puerorum, qui sua in Christum pietate impulsi ad mortem concurrunt et properant; quis ita stolidus vel incredulus aut mente obcaecatus fuerit, ut non intelligat et cogitet Christum, cui testes esse merentur homines, singulis victoriam adversus mortem tribuere et concedere, illamque in omnibus, qui ejus fidem habent et crucis signum gerunt, infirmare?“

23. Sane 2) nulla potest assignari causa naturalis, ex qua factum tam universale loco et tempore, tam stupendum, tam inauditum sufficienter possit explicari. Non *spes lucri*, ut ma-

---

[1]) De Virgin. L. 1. c. 2.
[2]) Orat. de incarn. n. 29.

nifestum est: non *inanis gloriae cupido* „quam bene norant a religione nostra proscribi, ut animadvertit Perrone [1]), per quam omnem martyrii fructum amisissent; plures in speluncis ac silvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt, a nemine cogniti nisi a solo Deo. Infamia publica notati erant; plures conglobatim occisi vel combusti erant, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura minime esse. Denique magis a gloriae cupidine quam a gladio vel ab igne sibi timebant [2]).“ Non *patriae amor* quam in mundo non habebant, sed coelum esse arbitrabantur. Non *mentis furor*, quem fanatismum vocant; hunc enim abfuisse evincunt tot quibus Martyres ornabantur virtutes, pax inprimis animi mentisque tranquillitas, prudentia in responsis, humilitas, diffidentia de sua virtute ac juges ad Deum fusae preces, de quibus supra egimus. Non *inanis exspectatio bonorum futurorum*. Non diffitemur quidem, Martyres spe gloriae coelestis vehementer fuisse impulsos ad fortiter subeunda tormenta, ut eorum acta passim testantur; tamen si haec fides *inanis* fuisset et *erronea*, talis constantiae cum omnibus adjunctis illis, quae expendimus, causa esse

---

[1]) Praelect. theol. V. 1. P. 1. c. 4. pr. 5. n. 425.
[2]) Cf. supra n. 11.

non potuisset. Potest quidem esse, et revera saepe est opinio erronea conjuncta cum pertinacia, haec vero cum constantia et fortitudine etiam admiranda, tamen quandiu error et vitium radix et fons esse nequeunt virtutum *solidarum*, virtutum *heroicarum*, virtutum *adeo sublimium*, ut earum vel umbram frustra apud philosophos ethnicos quaeras, persuasio erronea non sufficit ad explicandum martyrium, quale illud in Ecclesia fuisse per tot secula ostendimus[1]). Cum ergo Martyrum constantia ex causis naturalibus nequeat explicari, maneat illatio, quam jam seculo secundo Ecclesia Smyrnensis in aurea epistola de martyrio sancti episcopi sui Polycarpi hisce verbis enunciavit[2]): „Eorum (Martyrum) strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas ec arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel

---

[1]) Ceterum de insufficientia causarum naturalium ad explicandum martyrium christianum cf. Balmes *Briefe an einen Zweifler*. 5. Br. et Storchenau: *Die Philosophie der Religion* Bd. 5. St. 8, qui de hac re fuse, solide et plane egregie disserunt.

[2]) N. 2.

ingemiscoret, omnibus ostendentes, Martyres Christi se tunc dum torquerentur a carne peregrinatos fuisse *aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.*«

24. Haec 3) *Domini praesentia*, hic specialis Dei interventus evidentius adhuc comprobatur, si persecutiones et martyria certaminis, duelli instar spectentur Ecclesiam inter et superstitionem ethnicam initi. Jam vero quid admirabilius quam fugiendo, patiendo, moriendo non solum non vinci, non succumbere, non perire, sed potius *vincere*, sed *praevalere*, sed *triumphare?* Ad rem Chrysostomus [1]): „Ecclesiae fortitudo vehementius saepiusque quam templum (judaicum) impugnata fuit: nunquam vero cessit se oppugnantium manibus, sed excelsior illustriorque maxime ab hostibus facta est. Tunc

---

[1]) In Isaiae c. 2. n. 3. Cf. H. 4. in illud, Vidi Dominum n. 2. (Migne 56, 121 s.) Huc referri possunt verba auctoris anonymi L. de duplici martyrio alias S. Cypriano adscripti n. 16: „Quemadmodum Domini mors potentior erat quam vita, ita voluit Martyrum suorum mortem esse potentem. Quid enim infirmius quam vinciri, damnari, caedi, cruciari, occidi et ad carnificis arbitrium praebere corpus? .... verum ubi jam ad monumenta Martyrum pelluntur morbi, rugiunt daemones, terrentur monarchae, coruscant miracula, concidunt idola, tum apparet *quam potens sit et efficax Martyrum sanguis.*«

Martyrum coetus, tunc confessorum multitudo, tunc ferro firmiores animae ostendebantur ipsisque stellis splendidiores erant, concisis corporibus, animis minime victis, sed vincentibus et coronatis. Quis vidit, quis audivit *caedem gestare coronam, jugulationem victoriam reportantem, tunc exercitum splendidiorem effectum, cum plures visi sunt ab hostibus jugulari?*« Et iterum: „Oppugnati sunt undecim discipuli, totus orbis oppugnabat: verum qui oppugnabantur vicerunt, qui oppugnabant sublati sunt; *oves devicere lupos.*« Hinc merito Sulpicius Severus, relata serie decem acerbissimarum persecutionum, concludere potuit[1]): „Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicimus quam cum decem annorum stragibus (postremae nempe persecutionis) vinci non potuimus.« Quare nisi negare velimus principium rationis sufficientis, cum tam insignis victoria et triumphus causae adscribi nequeat naturali, concludendum est cum ecclesia Smyrnensi „*Dominum Martyribus adstitisse et cum ipsis esse versatum*[2]).«

---

[1]) Sacrae hist. L. 2.

[2]) Hanc praesentiam testatus est Dominus etiam tot *miraculis*, ad quae merito provocare possemus (cf. n. 17.) cum certissima plane sint interventumque divinum evidenter comprobent; sed modo contenti

25. Denique 4) alia etiam ratione Martyrum sanguis testimonium est veritatis. Si enim omnium sententia testimonium eo majoris est ponderis, quo *plures* fide digni in illud conspirant, quo *majori asseveratione* illud confirmant, quanti non est faciendum testimonium, in quod *innumeri* omnis aetatis, conditionis, gentis et virtutum splendore illustres conspirarunt, quique illud non verbis tantum, sed ipsius sanguinis obsignarunt effusione? Et si nemo *gratis* mendax, quanto minus innumeri, qui pro illius confirmatione, quod testantur, parati sunt omnia quamvis durissima, exsilia, bonorum omnium jacturam,

---

sumus sola constantia insigni Martyrum, quae cum omnibus suis adjunctis vere dici potest miraculum ordinis moralis. Ceterum de hoc admirabili certamine seu duello Ecclesiam inter et superstitionem ethnicam alias fortasse uberius disputabimus. Interim audiatur S. Hieronymus ep. 107. n. 2. de ejus exitu: „Solitudinem patitur et in Urbe gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras et ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat. Jam Aegyptius Serapis factus est Christianus. Marnas Gazae luget inclusus et eversionem templi jugiter pertimescit. De India, Perside, Aethiopia monachorum quotidie turbas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiae frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus et flavens exercitus ecclesiarum circumfert tentoria“ etc.

tormenta horrenda, mortem ipsam absque ulla spe lucri subire? Sed Martyrum multitudo infinita omnis aetatis, conditionis, gentis illa contestatur facta, quibus innititur religio christiana et, ne ejus parvipendatur testimonium, absque ulla utilitatis commodive spe pro illius confirmatione adversa quaeque patitur largeque sanguinem profundit suum. Hujus ergo multitudinis testimonium sanguine obsignatum, nisi omnes sanae criticae leges conculcentur, veritatis censeri debet testimonium. „Cum quis viderit, inquit ad rem Hieronymus [1]), tanta perseverantia stare Martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari subit tacita cogitatio, quod *nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur.* Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei apostolorumque victoria.“

26. Cum vero ex tot coetibus, qui Christi gloriantur nomine, nullus tanto Martyrum numero illustretur ut Ecclesia romano-catholica, hanc veram Christi esse Ecclesiam merito concludere possumus, et eo confidentius hoc inferimus, quo ea illatione jam Montanus Martyr, nobilissi-

---

[1]) Epist. ad Hedibiam 120. c. 10.

mus S. Cypriani discipulus, adversus haereticos usus sit, ut legimus in ejusdem actis[1]). „Haereticorum quoque superbiam, ita in illis scriptum est, et improbam contumaciam retundebat, contestans eos, *ut vel de copia Martyrum intelligerent Ecclesiae veritatem.*«

---

[1]) Ap. Ruinart n. 14. De hac illatione cf. quoque Irenaeum L. 4. adv. Haer. c. 33. n. 9. et S. Cyprianum ep. 58. ad Lucium R. P. n. 3.

INDEX.

	Pag.
S. Cypriani liber de mortalitate . . .	1
I. Scribendi occasio	1
II. Non timendum in procellis hujus mundi, cum haec praedicta sint	3
III. Justus ex fide vivens cum Christo esse desiderat	4
IV. Vitae humanae miseria	5
V. Optare debemus ad Christum venire .	6
VI. Quia fides deest, coelum non desideramus	7
VII. Quantum prosit de seculo exire . . .	7
VIII. Miseriis vitae etiam fideles sunt obnoxii	8
IX. Fidelibus plus quam ceteris in hoc seculo est laborandum	9
X. Exempla Job et Tobiae	10
XI. Patienter quidquid acciderit sustinendum est	12
XII. Conflictatio in adversis probatio est virtutis	13
XIII. In adversis virtus perficitur	14

Pag.

XIV. Mors Christianis non est timenda . . 15
XV. Mortalitatis utilitas 16
XVI. Pestis mentes humani generis examinat 17
XVII. Iis respondetur, qui in tanta mortalitate martyrio privari querebantur 18
XVIII. Quam praeposterum postulare: *Fiat voluntas tua*, et quando evocat Deus reluctari 19
XIX. Episcopi cujusdam visio 20
XX. Fratres de seculo liberati non sunt lugendi 21
XXI. Qui spem non habent contristantur in suorum excessu 22
XXII. Venturus ad Christum lugere non debet, sed gaudere 23
XXIII. Mors translatio est ad meliorem statum 24
XXIV. Mori non vult quem mundus oblectat 25
XXV. Gratulandum nobis est, si exitu maturiore subtracti plagis imminentibus exuamur 26
XXVI. Ad patriam nostram properemus . . 27
S. Cypriani liber de opere et eleemosynis 29
I. Incarnationis fructus 29
II. Eleemosynae vis 31
III. Nemo sine omni macula est 33
IV. Deus ad misericordiae opera hortatur . 35

Pag.

V. Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt 36
VI. Eleemosynarum virtus 38
VII. Christi de eleemosynis praecepta . . 39
VIII. Commendatio eleemosynae 40
IX. Misericors penuriam timere non debet . 41
X. Ne nimiam patrimonii rationem habeamus 43
XI. Misericordi nunquam necessaria deerunt 44
XII. Qui pascit Christum, pascetur ab eo . 45
XIII. Invehitur in eos qui propter nimium patrimonii augendi studium misericordiae opera negligunt 46
XIV. Quid diviti faciendum sit 47
XV. Exemplum viduae evangelicae . . . 48
XVI. Nec filiorum numerus a facienda eleemosyna excusat 49
XVII. Exemplum viduae Sarephtanae . . . 50
XVIII. Quo plures filii eo magis faciendae sunt eleemosynae 52
XIX. Eleemosynae filiis prosunt 53
XX. Exemplum Tobiae 54
XXI. Deus eleemosynarum spectator . . . 55
XXII. Quam pudendum divites daemoni potius quam Christo obsequi 56
XXIII. Qui non faciunt eleemosynas inexcusabiles sunt 58
XXIV. Exhortatio ad opera misericordiae . . 60

Pag.

XXV. Imitemur Deum patrem nostrum . . 61
XXVI. Praemium eleemosynae ejusque fructus . 62
S. Cypriani liber de bono patientiae 64
I. Patientiae necessitas 64
II. Philosophorum patientia est falsa . . 65
III. Diligenda patientia homini, quae Deo cara est 66
IV. Patientia Dei erga peccatores . . . 67
V. Qui patiens est, Dei patris est imitator 69
VI. Jesus Christus patientiae exemplar . . 70
VII. Insignis Christi patientia in summis doloribus 72
VIII. Christi patientia erga suos inimicos . 73
IX. Per Christi exempla nobis est gradiendum 74
X. Sanctorum V. T. insignis patientia . . 74
XI. Sententia Dei in Adamum transgressorem ejusque posteros lata 76
XII. Patientiae necessitas in tot hujus vitae malis 77
XIII. Ad perseverandum patientia opus est . 78
XIV. Patientia vitantur peccata 80
XV. Caritas absque patientia esse nequit . 80
XVI. Dei praecepta sine patientia servari non possunt 81
XVII. Ad carnis incommoda ferenda patientia opus est 83
XVIII. Patientia Job et Tobiae 84

Pag

XIX. Impatientiae exordia et tristes effectus 85
XX. Late patet patientiae virtus 86
XXI. Patienter exspectandus est ultionis dies 87
XXII. Vaticinia prophetarum de die judicii . 89
XXIII. Christus qui tacuit in passione, in ultimo judicio non tacebit 90
XXIV. Judicem et vindicem nostrum patienter exspectemus 91
Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de patientia 93
Caput I. Patientiae praestantia philosophorum gentilium suffragio comprobatur 93
Caput II. Deus ipse patientiae est exemplum 96
Caput III. Insigne patientiae exemplum quod Christus praebuit nobis 97
Caput IV. Nos Domini servos ejus exemplum sectari oportet 100
Caput V. Natales impatientiae ejusque incrementa 102
Caput VI. Impatientia in lege fidei plane abrogata 108
Caput VII. Patientia necessaria est, ut secundum doctrinam Christi circa fortunas affecti simus 110
Caput VIII. Patientiae utilitas 113
Caput IX. Patientia servanda in amissione nostrorum 115

Pag.

Caput X. Impatientiae stimulus ultionis est libido 116
Caput XI. Multiplex patientiae exercendae occasio. Ejus praemium 119
Caput XII. Patientia est mater virtutum . . 121
Caput XIII. Patientiae fructus insignes . . 123
Caput IV. Patientiae exempla et praemia . . 126
Caput XV. Patientiae uberes fructus et indicia 127
Caput XVI. Diabolus suos patientiam propriam docet 129
Q. Sept. Flor. Tertulliani exhortatio ad martyres 131
Caput I. Modeste hortatur martyres ut sibi ab insidiis diaboli caveant 131
Caput II. Mundus est carcer; Christianis vero carcer non est carcer 133
Caput III. Militia est vita Christiani . . . 136
Caput IV. Quibus stimulis martyrium subeundi alacritas sit excitanda 138
Caput V. Exempla constantiae de affectatione venientis 141
Caput VI. Ipsa humanae conditionis contemplatio constantiam in ferendis tormentis docere nos debet 192
Dissertatio III.: Martyrum sanguis vox veritatis 143
I. Dissertationis argumentum 143
II. Martyrum ingens numerus 146

Pag.

III. Tortorum crudelitas et furor immanis . 149
IV. Martyrum constantia invicta 155
V. Martyrum virtutes 162
VI. Alia adjuncta 172
VII. Discrimen ingens inter Martyrum christianorum virtutem et eorum, qui opponi solent, constantiam 174
VIII. Argumenti vis 177

Index rerum

quae tomis 1—4. continentur.

A.

Apostolorum aequalitas I, 73.

Arca Noe Ecclesiae typus III, 217.

B.

Bonitas Dei vel impiis ante diluvium adfuit III, 116.

Bonum omne in ordine salutis fructus est gratiae III, 67; 197; 212.

C.

Caecilius S. Cyprianum ad fidem adducit I, 7.

Calamitatum publicarum causa Dei contemptio I, 39; eae sunt poenae infidelium impiorum I, 41.

Calumniae silentio spernendae, nonnunquam tamen eis respondendum I, 35.

Carcer est Christianis secessus IV, 134.

Caritas sine patientia esse nequit IV, 80; sine caritate nihil prodest III, 208.

Christianorum caritas tempore pestis I, 15; patientia 53, 56; in adversis fiducia 54; hinc diversa eorum ab ethnicis conditio in illis 55. Ipsi soli evadunt mala divinitus praedicta 58; ipsis totus mundus patria est I, 17; eorum vita militia IV, 136.

Christus ipse nos docuit orare II, 43; exemplo 77; pro omnibus mortuus est III, 128. Christi nominis virtus I, 108, 116; verba in martyribus adimpleta, IV, 172.

Communio jejunium non frangit II, 24.

Confessio fidei immunes nos non reddit a periculis I, 96.
Crucis signum quam efficax contra daemones I, 118, 121; illud exprimebant Christiani orantes II, 18.
Cypriani virtutes I, 3; omnia vendit et in pauperes distribuit 4; ad sacros ordines cito promovetur 5; adhuc neophytus et invitus in episcopum eligitur 8; tempore persecutionis secedit hujusque secessus ratio 11; ejus exsilium 17; capitur 25; condemnatur 28; capite plectitur 29; operum ejus praestantia 32.

D.

Daemon vel invitus testis veritatis I, 51; ex daemonum expulsione quam frequenter argumentum derivent Patres 105, 120; factum expulsionis 107; hujus facti certitudo 111; celebritas 114; frequentia 117; fructus 125; nota verae Ecclesiae 130; daemonum existentia 128; daemon artifex tentationum II, 13; nihil potest Deo non permittente 73; vel in carcere cavendus IV, 132.
Deus pater noster merito fidei II, 4, 50; aliis quoque ex rationibus II, 94; si pater quasi filii nos gerere debemus 54; habenti Deum nihil deerit 68; quare dicatur in coelis 97.
Divitiae periculosae II, 67; eas daemoni potius impendere quam Deo quam pudendum IV, 56.
Dominus cum martyribus IV, 184.

E.

Ecclesiae unitas I, 71, 75, 80; praefigurata tunica Christi indivisa, domo Rahab etc. 77 ss. catholicitas III, 228; firmitas 230 ss.; varietas 227; aliae dotes IV, 143; extra eam non est salus I, 76; III, 219; non prosunt sacramenta 221; in ea sunt etiam peccatores 223; etiam post mortem apostolorum vigent charismata I, 125, 129; qui ecclesiam non

habet matrem, non habet Deum patrem I, 76. Ecclesiae cura de martyribus in carcere constitutis IV, 135; ea vincit patiendo 184; ea est vera, quae daemones expellit I, 130.
Ecclesiam romanam veram esse Ecclesiam probatur ex martyrum numero IV, 187.
Electio gratiae ad fidem etc. non est ex meritis naturae III, 50 ss., 65 ss. est certa 159, quae tamen certitudo non excludit bona opera vel orationes 162, 166; incerta ex parte nostra 167.
Eleemosynae vis IV, 31; quo sensu deleat peccata *ib.*; ejus faciendae obligatio 39; commendatio 40; spectator Deus 55; fructus et praemium 62; prodest etiam eleemosyna parentum filiis 53; excusationes quominus illam faciamus refelluntur 41; qui eam non faciunt sunt inexcusabiles 58; qui Christum in pauperibus pascit, pascetur ab eo 45.
Episcopatus unitas I, 75.
Ethnicorum erga suos crudelitas I, 14; flagitia 45; caecitas 52; quo sensu omnia eorum opera dici possint peccata III, 12.

F.

S. Felicitatis nobile responsum IV, 169.
Fides vera quae I, 69; necessitas gratiae ad credendum III, 67.
Fortitudinis exempla penes ethnicos IV, 139.

G.

Gentium vocatio prioribus seculis abscondita, prophetis manifesta III, 132.
Gratiae ad omne opus salutare necessitas II, 59, 61, 64, 75; III, 59, 67, 199; gratiae internae necessitas III, 189; ad martyrium IV, 132; gratiae mysteria III, 39, 50, 63, 88, 94, 109, 122, 137; gratuitas 57, 65, 106; universalitas 40; varia distributio 103, 112, 119, 158; operandi ratio 146; ea praevenit humanam vo-

luntatem 201; non tamen adversatur libertati III, 3, 17, 146, 199, cum ea naturam non destruat sed reparet 15; nec excludit cooperationem sed datur ut bene operemur 164.

H.

Haereses cavendae I, 70; sunt origo scissionis 82.
Humani generis tristis post Adami lapsum conditio III, 11.
Humilitatis bona et fructus III, 179; ea etiam a divitibus haberi potest 183; filios Ecclesiae pares facit 186; in confessione integra gratiae consistit 187.

I.

Impatientiae exordia et fructus IV, 85, 122; stimulus ultionis libido 116.
Incarnationis fructus IV, 29.
Indulgentiae II, 135.
Justitia Dei respectu parvulorum III, 138, 144.

L.

Lex vetus in meliorem mutata II, 2.
Libertas sub gratia III, 116, 150.

M.

Mala quadruplicis generis, a quibus nos Deus liberat II, 144.
Martyrum acta olim diligenter conscripta I, 2; virtus contra daemonem I, 110, 113, 117, 122; numerus ingens IV, 146, 172; cruciatus immanes 149; constantia 155; virtutes 162; alacritas 161; in respondendo magnanimitas 169; discrimen inter eos et heroas, fanaticos etc. 174; martyrum sanguis semen Christianorum 177; persuadendi vi pollet 179; martyres Lugdun. 163, 168.
S. Mauricii mansuetudo IV, 166.
Misericors penuriam timere non debet IV, 41, 44.
Mortis timor oritur ex fide infirma IV, 4, 7; ex amore mundi IV, 25; mors translatio est ad meliorem vitam 24; desideranda 6, 15, 23, 26.
Mortui in Domino non sunt lugendi IV, 21.
Mundus jam senuit I, 37; est carcer IV, 134.

Mysteria in operibus divinis III, 47. Cf. gratiae mysteria.

N.

Naturae sine gratiae infirmitas III, 59.
Nomen Dei quo sensu sanctificetur II, 6; ejus proprietates 102.

O.

Officia nostra erga Deum II, 94; erga proximum 96.
Opera omnia bona fructus gratiae III, 67.
Orandum est animo humili II, 47; attento 79; pacifico 15; puro 16; orandum est semper 86.
Oratio dominica breviarium Evangelii II, 4; ejus praestantia 14, 44; est oratio secura II, 88; recta 90; ordinata *ib.* devota 91; humilis 92.
Oratio sit modesta II, 21, 45; communis et publica 49; orationis efficacia 39; dotes 38; locus 35; tempus 35, 83; oratio sterilis est ineffícax II, 81.
Osculum pacis orationis signaculum II, 22.

P.

Pacem Deus amat I, 84; eam habere nequit cum Deo qui cum fratre non habet 86; ea est amanda 101. Pacem lapsi a martyribus exorabant IV, 133.
Pacificorum oratio Deo placet II, 72; Dominus cum ipsis I, 84.
Panis noster est eucharistia II, 65; duplex, sacramentalis et verbum Dei 124.
Parvulis gratia in parentibus praeparata est III, 142.
Patiens imitator Dei IV, 69.
Patientiae necessitas IV, 12, 64, 76, 81; ad servanda praecepta 81; in amissione bonorum 110; nostrorum 115; est mater virtutum 121; ejus fructus 123; signa 127; utilitas 113, 119; praemium 119, 126; quam late ea pateat 86; patientia Dei 67, 96; Christi 70, 97; a nobis imitanda 100; philosophorum falsa 65; ab iis tamen magni fit 95; ea probatur virtus 13;

patientia quam diabolus suos docet IV, 129.
Patrem Deum dicimus quia filii esse coepimus II, 50.
Pauli M. caritas vel erga inimicos IV, 167.
Peccatum originale III, 194; quo sensu opera infidelium dici possint peccata 12; peccamus quotidie II, 56, 70, 126; IV, 33.
Pelagiana haeresis ex superbia nata III, 192.
Persecutorum inconstantia in persequendis Christianis I, 49.
Petri primatus I, 72; est unitatis origo 73; a Petri cathedra alienus extra Ecclesiam est 74.
S. Polycarpus persecutores convivio excipit IV, 165; prudenter respondet 169.
Praeceptum datur ut praecipientis quaeratur auxilium III, 203.
Praescriptio quid IV, 102.
Providentia divina nunquam defuit humano generi III, 7, 60, 97, 110, 117, 157.

R.

Ratione non vi vincendum I, 50.
Regni Dei adventus a nobis postulandus II, 9; quare 108; quo sensu dicatur regnum Dei advenire II, 106.
Ritus vani in oratione vitandi II, 18; genua flectendi 34.

S.

Sanctum quot modis aliquid dicatur II, 104.
Schisma vitandum I, 7, 83, 92, 100; nec sanguine abluitur 87, 94; ejus poenae in V. T. 93.
Scriptura totum pro parte ponit III, 23.
Spes semper habenda II, 128.
Spiritismi phaenomenorum causa daemon I, 132.
Superbia omnis peccati initium III, 190; haeresis pelagianae 192; in virtutibus cavenda III, 191; 205, 210. Superborum ruina gravissima 189.

T.

Tentatio quid sit II, 138; tentationum causa triplex 139; quomodo ab iis liberemur 142.

U.

Universum salutis medium remotum III, 99.

V.

Vindicta in N. T. prohibita IV, 108; Deo committenda IV, 87; patienter exspectanda 91.
Virgines velandae erant II, 26.
Virtus vera a falsa discernenda III, 177; in adversis probatur IV, 14.
Vita praesens tempus merendi I, 63; ejus miseriae IV, 5, 8; pericula 142.
Vitia quae cavenda in rerum temporalium desiderio II, 119.
Voluntas Dei quo sensu petatur fieri a nobis II, 7; quae circa nos 113; voluntas Dei salutifera plane universalis III, 37, 91, 97, 136, 145.
Voluntatis humanae genus triplex III, 4; sensualis *ib.* animalis 9; ejus imbecillitas 9; voluntas bona gratiae opus 11; gignitur etiam ex terrore et metu 148; operis loco est apud Deum.

In quaedam exemplaria T. 1. haec irrepserunt errata:

Pagina 3. linea 11. *nominis*, lege *hominis*.
» 12. » 3. *pudicitae*, lege *pudicitiae*.
» 14. » 5. *inter*, lege *iter*.

A. M. D. G.